NEAPOLITANA
CANONIZATIONIS
B. FRANCISCI
DE HIERONYMO
POSITIO III. SUP. MIRAC.

A NAZ.
III

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVIII
H
62
NAPOLI

XLVII
88
50

Digitized by Google

XLVII
88
56

Digitized by Google

Digitized by Google

SACRA RITUUM CONGREGATIONE

EMO AC RMO DOMINO

CARDINALI PEDICINI

EPISCOPO PRÆNESTINO

S. R. E. VICE-CANCELLARIO

SACRORUM RITUUM CONGREGATIONE PRÆFECTO

RELATORE

NEAPOLITANA

CANONIZATIONIS

BEATI FRANCISCI DE HIERONYMO

SACERDOTIS PROFESSI E SOCIETATE JESU

NOVISSIMA POSITIO

SUPER NOVIS MIRACULIS

POST INDULTAM BEATO VENERATIONEM

ROMÆ MDCCCXXXV.

Ex Typographia Rev. Cameræ Apostolicæ.

Digitized by Google

NEAPOLITANA
CANONIZATIONIS
B. FRANCISCI
DE HIERONYMO
SACERDOTIS PROFESSI E SOCIETATE JESU

FACTUM CONCORDATUM

Beatissime Pater

Decreta a Sa: Me: Pio VII. die 2. Maji anno 1806. B. FRANCISCI DE HIERONYMO Beatificatione, Solemniis etiam in Basilicæ Vaticana celebratis, cum Sacerdos Alphonsus de Comitibus Muzzarelli Causæ Canonizationis prælicti Beati Postulator pro Signatura Commissionis Reassumptionis hujusmodi Causa institisset, Sacra Congregatio ad relationem Cardinalis Saluzzo Ponentis die 3. Septembris anno 1808. benigne annuit, idemque Summus Pontifex iisdem die, mense, et anno ejusmodi Commissionem propria manu signavit.

Tristissima deinde temporum acerbitate Caussa diu siluit. Cum tamen ossa Beati Francisci de Hieronymo in quadam urna collocata Neapoli Romam, quo diligentius custodirentur, essent translata; Præpositus Generalis restitutæ Societatis Jesu Aloysius Fortis supplici suo libello a Summo Pontifice Pio VII. die 30. Aprilis 1822. impetravit, ut formiter per S. Fidei Promotorem, et Sac. Rit. Cong. Assessorem, ejusdemque Congregationis Notarium reliquiarum identitas cognosceretur, et particulares eadem S. Congregatio Literas una cum instructione Fidei Promotoris Cardinali Archiepiscopo Neapolitano dirigeret, ad hoc, ut ossa B. Francisci de Hieronymo decentiorem in urnam transferret, publicæque venerationi exponeret. Rebus rite confectis, particulares illæ Literæ fuerunt expeditæ, et Sacræ ejusdem Beati exuviæ Romæ Neapolim remissæ.

Post

Post hæc, cum in Oppido Criptalearum, vulgo Grottaglie, quod naturale solum fuit ejusdem Beati, in Tarentina Archidiœcesi Deus Optimus Maximus ipsius intercessione patrare miracula dignatus fuerit, P. Joannes Roothaan Præpositus Societatis Jesu Generalis, Caussæque Postulator Literas Remissoriales, et Compulsoriales pro construendo super assertis Miraculis Processu a Summo Pio VIII. supplex petiit, et impetravit die 27. Novembris 1830.

Caussa tamen post obitum Cardinalis Saluzzo Ponente viduata, ad instantiam præfati Postulatoris, et Præpositi Generalis SANCTITAS VESTRA Me in Caussæ Relatorem die 12. Martii 1831. eligere dignata est.

Interim dum Apostolica inquisitio in Tarentina Archidiœcesi conficeretur, Caussæ Postulator ab eadem Sanctitate Vestra di 29. Aprilis 1831. obtinuit, ut prius etiam, quam Inquisitio absolveretur, et publicaretur, Judices Apostolici Amanuensem eligere valerent, qui præstito juramento de secreto servando, et munere fideliter exercendo acta exemplaret.

Processu absoluto, Romam delato, et in Actis S. R. C. præsentato, benigne indultum fuit die 2. Augusti ejusdem anni 1831 ut aperiretur, atque transcriberetur.

Hinc facta per eamdem Sanctitatem Vestram potestas, ut dubium de Processus validitate, sine interventu, et Voto Consultorum in SS. Rituum Congregatione Ordinaria ageretur die 12. ejusdem mensis et anni. Cumque Sacra Congregatio die 12. proximi Novembris proposito dubio de Processus validitate rescribendum censuerit = *Affirmative in omnibus* = hoc Sacræ Congregationis rescriptum die 18. recensiti mensis anno 1831., Sanctitas Vestra clementer confirmavit.

Tum in Meis Aedibus die 2. Aprilis anno 1833. habita fuit super Miraculis Congregatio, quæ dicitur Antepræparatoria.

Demum die 1. Julii superioris anni 1834. in Congregatione Præparatoria habita in Palatio Apostolico Quirinali instauratum fuit eorumdem Miraculorum examen.

Nihil itaque modo reliquum est, nisi ut habeatur Congregatio Generalis Coram SANCTITATE VESTRA super dubio jam cum R. P. Fidei Promotore concordato, quod ita se habet: *An, et de quibus Miraculis constet post indultam ab Apostolica Sede eidem Beato venerationem in casu, et ad effectum, de quo agitur?*

C. M. CARD. PEDICINIUS. S. R. C. PRÆF. ET PONENS.

NEAPOLITANA

CANONIZATIONIS

BEATI FRANCISCI DE HIERONYMO

SACERDOTIS PROFESSI E SOCIETATE JESU

NOVISSIMÆ

ANIMADVERSIONES

R. P. PROMOTORIS FIDEI

SUPER DUBIO

An, et de quibus miraculis constet in casu, et ad effectum, de quo agitur?

BEATISSIME PATER

1. Tertio nunc ad examen redit præsens causa, et dilucidior redit, ac magis explanata, adjecto judicio, quod in Præparatoriis Comitiis requisitum fuit, clarissimi in arte medica chirurgica Periti ab Emo Ponente pro veritate consulti, et qui sancte non minus, quam docte juxta artem respondit, propositas duas instantaneas, perfectasque sanationes sive Cajetani Santori ab ulcere inveterato, sive Mariæ Josephæ Greco a dexteri cruris inveterata anchilosi, vires naturæ excedere, ac omnino ad miracula esse referendas. Pro severitate tamen judicii, quod agimus, restare adhuc nonnulla videntur, et fortasse plura dilucidius explananda, quæ paucis ex præscripto indicabimus.

MIRA-

MIRACULUM I.

Instantaneæ perfectæque sanationis Cajetani Santoro annorum 84. ab ulcere inveterato maligno insanabili in dextero crure

2. Gravia quidem in titulo, dum et Inveteratum in Sene octogenario, et malignum, ac insanabile dicitur ulcus, illudque ad invocationem B. Francisci instantanee, ac perfecte sanatum. Hæc tamen omnia pendent a dictis Testium, Et hi non omni adhuc exceptione dici queunt immunes sive in personis, sive in dictis. Expungendi enim primum illi duo rursus videntur Testes V. et IX., qui ad interrogatoria eis facta ingenuè fassi sunt, Paschali per aliquot annos non paruisse præcepto. Sint ipsi licet, ut maxime sibi præsumit Postulatio, a pœna immunes excommunicationis, tamquam non latæ, sed ferendæ sententiæ, et aliquibus etiam in locis, ac signanter in Neapolitano Regno ob illius vicissitudines ab anno usque 1799. quasi obliteratæ; nemo tamen omni vacuos culpa, atque adeo optimæ fidei eos dixerit, qui præceptis haud pareant Ecclesiæ.

3. Nec magis fidendum videri potest Testibus reliquis, licet probis, et fide dignis; dum hi ipsi inter se dissentientes sibi invicem adimunt fidem. Quæris causam morbi, unde ejus indoles, et gravitas queat dignosci? Frustra quæras ex Testibus, quorum alii, ut alias advertendum fuit, pro causa assignant = *un urto nel molleolo* = alii = *una tuzzatura di scarpe* = alii = *aver posto piede nell' acqua* = Verum ex iis certum videri potest, causam ulceris non ex infecto profectam sanguine cum inflammatione, rubore, dolore fuisse, ut Erysipelas dici queat, atque hinc certum miraculi primum extremum constituere; sed omnino fuisse *extrinsecam*, quo in casu haud necesse est ad miraculum confugere sanationis, quæ, ut non raro contigit, naturaliter haberi potuit.

4. Et quidem si ulcus Cajetani pessimæ, ut volunt, fuisset indolis, multa simul miracula in diuturna ejus quadraginta et amplius annorum duratione dignoscenda essent. Primum quod per tantum temporis spatium nunquam ex ulcere orta fuerit gangrena, non cancer, quæ tamen in corpore præsertim senili, negligenterque, ut in casu, curato ulcere, cum callo et oris crassis, aliisque corruptionis signis supervenire solere monet *Celsus de Medicina cap.* 26. §. 31. *de ulceribus, quæ extrinsicus per vulnera incidunt*. Mirandum præterea tum quomodo ægrotus substinere potuerit linguam canum sæpe sæpius plagam labentium, tum vero, quod magis est, quomodo ambulare potuerit, imo victum quotidie laboribus, et quidem onerosis sibi, et familiæ comparare. Audiamus omnes

pes-

pessimo laborantes ulcere, et videamus, an labor sit eis possibilis. Decumbunt, ululant, lamentantur, ac desides nequeunt ne lento quidem gradu incedere.

5. Quid autem, quod Testimonia dificiunt Medicorum curæ? Quid quod non satis edocemur, prout necesse esset, de ultimo morbi statu? Ex ipsomet tantum sanato, ac ex Testibus de auditu a Sanato hauriuntur judicia Peritorum; Et qui unus rogatus affertur Medicus *Joseph Mangiulli*, is nihil nos docens de symptomatibos morbi, vidisse se tantummodo ulcus dicit = *che era ributtante a vederlo* = atque hinc fastidiens stomacho (res risu digna in homine super cadavera ipsa farciendæ anatomes perito) nullum experimentum fecit, unde vera dignosceretur natura morbi. Et is demum nonnisi *octo ante sanationem* annis vidisse ægrotum dicit, ut ejus judicium nihil præstare queat ad ultimum, quem inquirimus statum morbi. De hoc unus, inquam, est sanatus, qui effert sanationis instantaneitatem, visionem nocturnam addens B. Francisci de Hieronymo = *che gli aveva passata la mano sopra la piaga, e gli aveva detto: Gaetano và, cammina*. Testes reliqui fere omnes non aliam assignant scientiæ causam, nisi illam = *ho inteso dire* = Et qui duo filius filiaque sanati, dum se dicunt vidisse ulcus, id non de ipso asserunt tempore sanationis, sed vel = *un mese circa prima di ottenere la guarigione* = vel = *quindici giorni prima della sanazione* = Ac ipsos cæterum Testes omnes haud facile omni dixeris vacuos suspicione, cum et ipsam sanati filiam memoria lapsam videamus, dum inter curæ Patris Peritos nominat Physicum *Nicolaum Manigrassi*, qui tamen negat se vidisse hominem; Et in Testibus reliquis, cum mirabilia loquantur, illud etiam mirum occurrat, quod Neapolitani cum ipsi sint et rudes, haud Neapolitano tamen utantur dialecto, sed potius sermone Etrusco, ut in Testibus hisce natura grandiloquis usurpari illud potius queat = *verbis facile ne credas*.

6. Accidit sed enim in exclusionem *instantaneitatis* sanationis id quod vel ipse asserit sanatos = *che il Beato Francesco gli andava facendo la grazia, perchè la gamba gli andava meglio* =, unde in sanatione sensim et paulatim peracta gratiam habebimus, non miraculum. Accedit et præterea dubietas de sanationis *perfectione* ex iis, quæ habentur vel ab ipso sanato, vel ab aliis Testibus. Nam Sanatus de se ipso narrat = *per tre giorni* = post sanationem = *mi sentii la testa confusa ed ingombra, quasichè il morbo fosse andato alla testa* =, rursusque dicit, se post sanationem vidisse = *nella gamba una piccola esuberanza con una macchia con crosta* = Consonantque Testes alii verbis relatis in *superior. Animad.ers.* §. 4., unde oriri dubium potest, an non aliqua acciderit metastasis, quæ plagam exsiccaverit; Quin ad eam cludendam sa-

tis ea duo sint', quæ a causæ Patrono Peritoque reponuntur; *sive* quod metastasis non levem morbum induxisset, sed gravem; *sive* quod corrosas carnes replere non poterat. Hisce enim satis ad rem ipse respondere videtur Peritus dum §§. 57. et 58. nos edocet, quod = *la guarigione istantanea delle ulceri inveterate viene SOVENTE seguita da terribili morbi = se si sanano o chiudono spontaneamente, o coll' arte accade PER LO PIU' grave malattia* = Ergo si *sovente*, si *per lo più* metastasis maligna est, aliquando tamen est mitior, licet raro. Ergo poterat natura suis viribus Santorii plagam exsiccare, et levem tantum in ferre morbum.

7. Augeturque argumenti vis ex ipso rursus Perito, dum §. 78. nos edocet ulcus in extrema ætate, qualis illa erat Santorii, emortua cute, emori pariter necesse. Quamvis enim addat §. 80. quod = *decrepitudo poterat ulcus exsicoare, non implere, neque putres carnes et excrescentes illico exedere, neque novas regenerare* =, advertendum hic tamen est, Cajetanum ad sanationem usque *myrtum* adhibuisse, et plumbea lamina vel oxidata vel salificata usum jugiter fuisse = *L' ho veduto* (ita Testis IX. Sum pag. 13. §. 97. et seqq.) *medicare colla polvere di mortella, che metteva sopra la piaga, e la copriva con una chiummarola* = *La polvere di mortella, che si metteva sopra la piaga . . . . La piombarola, che mettteva sopra la polvere di mortella* = et §. 109. = *la cura era polvere di mortella piombarola, e pezze*. Huic adhæret Testis X. §. 121. = *La sera antecedente se la medicava colla polvere della mortella* = Itemque Testis XIII. §. 160. aliique §. 73. et alibi. Ipsa autem Postulatio in Respons. ad novas Animadvers. §. 100., et ipse Peritus §. 70. admittunt virtutem adstringentem in myrto, et aliquam similem actionem in lamina plumbea = *Si qua myrto virtus est* (ita Peritus loco cit.) *adstringens certe est* = et paulo post de plumbi laminia = *huic quoque metallo* (addit) *vel oxydato vel salificato quædam actio pariter constrictiva in ulceribus tribuitur.* = His autem positis, cum oxidatam vel salificatam facile percipiamus plumbeam Santorii laminam, dum semper sanies ex ulcere scatebat, nec quotidie laminam commutare Santorius pro sua poterat paupertate, quid necesse est ad supernaturale opus confugere, ubi ex remediis adhibitis causa se offert naturalis sanationis?

MIRA-

MIRACULUM II.

Instantaneæ, perfectæque Sanationis ab inveterata, et invincibili cruris dexteri anchilosi, seu articuli immobilitate post diuturnum ulcus a combustione productum cum ossium carie in epilectica Muliere Maria Josepha Greco.

8. Præter ea, quæ in superiori miraculo notanda fuere de dubia fide aliquorum Testium, qui per plures annos Paschale violarunt præceptum, et qui tamen de hac etiam altera sanatione rogati fuere; omnino tria hic occurrunt, quæ tamquam certa in Titulo ponuntur, et quæ tamen ex actis haud facile constant. Primum illud; = *inveterata* =. Deinde aliud = *invincibili* =. Tertium quod dicitur de Sanatione *instantanea*, eaque *perfecta*. Hæc in quam potissimum non satis constant ex actis. Nam ad primum quod attinet, quidquid in sua Responsione a §. 106. ad 119. arguat Postulatio, ab ipsa die combustionis, atque adeo sub finem mensis Januarj 1829. *Anchilosim suum cœpisse exordium*, qualia signanter ejus sunt verba sub §. 114., hoc certum in facto est, id quod a probatis edocemur Testibus, non a die combustionis anchilosim eruepisse, sed = *coll' andar del tempo circa un' anno dopo* =, immo non ab ipsa combustione causam saltem proximam anchilosis eruendam, sed = *dopo questa cura*, idest ex ossis peracta per Chirurgum amputatione, quæ tamen non ante fuit peracta, ceu ipsa de re sua explicat Sanata, quam = *un mese o due circa prima della sanazione* =, quæ testimonia legimus in *Summ. pag.* 26. §. 19. *pag.* 30. §. 50., *pag.* 45. §§. 60. *et seq.*, *pag.* 45. §. 174. et in *Proaes. fol.* 358. *ter*.

9. Nec minus dubia res est de ea, quæ asseritur *invincibilitate*. Huic enim nil minus repugnat quam judicium ipsiusmet Chirurgi curæ, qui immo facile vinci morbum, seu actractionem cruris potuisse asserit, *qualora la gamba si fosse tenuta in estensione* = *Summ. pag.* 38. *et* 39. §. 116., atque adeo constans in suo sensu, et judicio fuit, ut sicuti morbi arduitatem tempore infirmitatis, ita et miraculi subjectum post sequutam sanationem aperte denegaverit, dicens, = *che non era stata sanazione miracolosa* = et si quam demum gratiam agnovisse visus sit, ex aliorum magis, quam sua sententia loquutum se fuisse ostendit, ut videre est in *Summ. d. pag.* 38. §. 37. *et pag.* 31. §. 61. *et pag.* 39. §. 117. Sed enimvero post hoc tale Periti curæ judicium difficile admodum est, non ejus subscribere sententiæ, qui infirmam sæpe sæpius invisit, et læsas ab igne carnes contrectavit, et Cariem ossis cum carne ab adusto crure dimovit, curavitque. Num credibile est, eum fuisse tam bardum aut oscitantem, ut nun-

nunquam adverterit ossa incoaluisse, ac muscolos destructos, quemadmodum sentit Peritus pro veritate consultus non de visu loquens, et tactu proprio, sicut curæ Chirurgus, sed solis innixus depositionibus muliercularum, et Mariti testium imperitissimorum? Imprudens certè, ac injuriosum esset hæc talia de Viro asserere chirurgicam artem publice exercente.

10. Ac revera si plenius expendenda res est, illud in primis occurrit fortasse mirum, Causæ Patronum, et Peritum inter se pugnare, ac invicem dissentire. Distinguit Peritus veram inter et falsam anchilosim §. 86. et sequen. Et causæ Patronus hanc distinctionem in Resp. ad primas animadv. §. 144 irrisit dicens = *coteste denominazioni debbonsi bandire dal linguaggio Chirurgico* = Sursus Patronus ipse *ibid.* probavit ex Testibus causam anchilosis *ex tendinis læsione*, et hanc dicit invincibilem Peritus è contra putat eam ortam esse ex *ossium vitio* (§. 93.) et priorem illam dicit motu vinci posse; §. 115. In hac autem sententiarum varietate nequit non dignosci dubietas. Et eo magis dixeris si ad erroneas advertas causas, ex quibus Mariæ anchilosim jam deducere studebat Patronus in dict. Respons. §. 169.

11. Quatuor enim hæ dicebantur causæ. *Prima* ex assumptione musculorum cruris extensorum; *altera* ex læsione tendinum ob flammarum vim; *tum* autem ex habituali cruris flexione; *demumque* a cicatrice post annum nata. Erronee tamen hæc dicta fuisse vel ipse nunc Patronus agnoscit, dum his rejectis ad Periti potius defert systema, qui in suo judicio anchilosim ponit in *ossium vitio*. Vere enim dum quæ dicitur anchilosis nonnisi longo post combustionem tempore, ut vidimus, exorta fuerit, et a Peritis edoceamur, quod = *il Muscolo flessore interno e distrutto in parte nè suoi attacchi tendinosi, ma intanto esegue liberamente i suoi movimenti* = *Summ. pag.* 29. §. 195., cumque in prioribus animadvers. §§. 27. *et* 28. probatum satis fuerit, cicatricem pharmacis emolliri potuisse, et cruris flexionem haud fuisse habitualem, aliunde nimirum, quam ex hisce erroneis causis haurienda invincibilitas erat anchilosis. Nec admodum tamen clare, ac certo erui videtur ex vitio, quale dicitur *ossium*, contracto ex combustione; semelac si expendas, quæ Peritus ipse tradit, constabit tantummodo *posse*, ignem inferre anchilosim osseam, sed hanc non esse necessarium consectarium, quemadmodum vel ipsa docet experientia, et curæ Chirurgus Manigrassus ex diligenti sua inspectione judicavit; anchilosim dicens, ceu supra vidimus, non aliunde manasse quam ex cruris inflexione, itaut sanari naturaliter potuisset, *qualora la gamba si fosse tenuta in estensione*.

12. Præ omnibus sed eandem difficultatem facit postremum illud de *instantaneitate*, ac perfectione. A Testibus quippe audimus = *che la gamba se la sentiva rendere a poco a poco* =, quid

quod post sanationem = *lasciò la seconda stampella, ma stava un poco inchinata dalla parte della gamba ammalata* = quod rursus Maria Josepha ambulabat = *col piede poco appoggiato in terra e zoppicava* = Hæc de visu a Teste XXVII. Quin et Sanatam ipsam post assertam sanationem clamantem audimus ad B. Franciscum = *o guariscimi del tutto, o fammi morire* = Ubinam igitur instantaneitas sanationis? ubi perfectio? *Tria* videlicet reponuntur, primum ex aliis desumptum Testibus; qui è contra deponunt, quod = *prima non poteva far uso dell' acqua per lavarsi le mani, nè faticare = dopo la sanazione ha acquistato forza, e fu tutto* =, qualia sunt verba Testis XVII., cui consonare videntur Testes XVIII, XXIII. et XXIV. Alterum deinde arguitur a multiplicitate, et complicantia *trium* morborum in Maria Josepha, *epilepsis* videlicet, et *ulceris*, et *anchilosis*, quæ a primis duobus repetebat originem, et quæ per miraculum videlicet sanata dicitur, prioribus duobus morbis remanentibus, id quod nihil obtendunt miraculosæ ejusdem anchilosis sanationi officere ex doctrina, et exemplis allatis a S. M. Benedicti XIV. lib. 9. part. 1. Cap. 8. num. 19.

13. Et diserte hæc quidem, sed quæ tamen majorem adhuc desiderant dilucidationem. Testes enim inter se contradicentes nequeunt omnimodo non dubiam rem facere. Cum autem ulcus dicatur causa anchilosis; nam *Phlogosis ex ambustione ulcus generavit, ex quo anchilosis*, qualia sunt verba Periti §. 117., ecquis erit, qui magno ac plane divino effectui tribuat, quod Maria Josepha attracta, et diro simul affecta ulcere, eoque ulcere, quod proxima dicitur causa attractionis, seu anchilosis, hoc ipso adhuc interim per miraculum excurrietur, dum artubus solutis libere graditur? Verendum profecto, ne manca hujusmodi, ac specie ad minus imperfecta sanatio obesse haud parum miraculi excellentiæ, ac splendori videatur; præsertim dum et Chirurgum curæ dictitantem audivimus = *che l'aveva guarito esso* =, et alios similiter audivimus, qui claudicantem post sanationem intuiti Mariam Angelam sunt.

14. Nec satis ad rem facere videntur exempla illa, quæ ex Austino et Benedicto XIV. afferuntur; quandoquidem ejus sunt ordinis et naturæ, ut morborum una simul ingruentium ingentem oppido disparitatem vel oculis subiiciant; ut illud est de cæco adolescente; et simul a Demone vexato; aliudque de fæmina retortos ad crura pedes gestante, et simul carente oculorum lumine; quæ certe, ut similia alia, a præsenti quam longe distant facti specie, in qua anchilosis enata ab ulcere nequit non dici adeo cum ipso ulcere connexa, ut tamquam *effectus* ne valeat quidem tuto et constanter dici soluta, sed suspensa potius dicenda sit, integra perseverante *causa*, a qua iterum gigni possit. Omnis modo manca, ut dice-

dicebamus sanatio perspicitur ; et quæ adeo non ad verum miraculum referenda sit, sed potius, ut punctim judicavit Chirurgus curæ = *ad una grazia speciale del B. Francesco.* = *Summ. pag.* 39. §. 117 =

Quæ dicta sint sub censura, salvo etc.

V. Pescetelli S. Fidei Promotor.

Digitized by Google

NEAPOLITANA

CANONIZATIONIS

BEATI FRANCISCI DE HIERONYMO

SACERDOTIS PROFESSI E SOCIETATE JESU

RESPONSIO

AD NOVISSIMAS

ANIMADVERSIONES

R. P. PROMOTORIS FIDEI

SUPER DUBIO

An, et de quibus miraculis constet in casu, et ad effectum, de quo agitur?

BEATISSIME PATER

1 Quo jamdiu properabat Caussa Canonizationis B. FRANCISCI DE HIERONYMO, eo tandem pervenisse laetatur, ut Majestatem Tuam subeat, PONTIFEX OPTIME MAXIME GREGORI XVI. Tuam mentem scrutetur, Tuumque ineluctabile tentet Judicium. Neque enim est, cur nimis et diu repetita Patrum Societatis Jesu ad eum finem studia commemorentur. At quis de flagrantissimis universi Neapolitani populi desideriis conticescat? Testem appello Eminentissimum Cardinalem Pedicini Caussæ ipsius Relatorem Sacrorumque Rituum Congregationi Præfectum. Nam cum superiore Men-

se Octobri Neapolim animi relaxandi gratia se contulisset, nulla fuit hominum Societas, nulli Civium Cætus, nullus Nobilium Ordo, qui non Illum adiverit; quique non multa prece apud Illum pro cita Caussæ expeditione vehementer institerit, cui Caussam ipsam noverant esse commendatam. Quibus singulis pro ea, qua tantopere præstat, animi bonitate spopondit, se apud R. P. Fidei Promotorem actorum, ut quam citius posset, novissimas proderet animadversiones, quibus proinde jam absolutis responsionem paramus.

DILUUNTUR ANIMADVERSIONES

ANIMAD. §. 1.

2 Quamquam Animadversionum initio R. P. Fidei Promotor candide fateatur, Causam tertium hoc ad examen *dilucidiorem redire, ac magis explanatam*, hoc tamen causæ ipsi affert incommodum, ut cum ferme omnia, quæ superioribus in Comitiis acta sunt, iterum regerat, primæ, et secundæ Responsionis de novo cudendæ necessitatem importet. Sed hoc ipsum alia ex parte haud levis est utilitatis. Nam causam considerantì ipsius bonitas ex nulla difficultatum novitate (si nonnullas inter Cl. Periti ad dicendum pro veritate electi judicium, et causæ defensionem prætensas contradictiones excipias) subito occurrat oportet: ex Reverendissimorum autem Sacræ Congregationis Consultorum animis quævis opus est dubietas evanescat, dum, quæ separatim dicta sunt, insimul collecta, novis etiam rationibus confirmata perlegerint, atque ad trutinam revocaverint.

ANIMAD. §. 2.

3 Et quoniam circa Miracula, hæc Responsio nostra versari debet, quoniamque illa, quæ huc pertinent, *pendent à dictis Testium* (1), hinc ea ratione in respondendo utemur, ut primum de Testibus, de Miraculis deinde disseramus.

DE TESTIBUS

ANIMAD. §. 2. *et* 8.

4 Testes non omni adhuc exceptione immunes, sive in Personis, sive in dictis videntur Animadversioni. Quoad personas, duos criminatur Testes, nempe V. et IX. rursumque tres alios Testes, nimirum XVIII. XXIII., et XXVI., hosque contendit esse expungendos, propterea quod ad interrogatoria fassi sint, se per aliquot annos Paschali haud paruisse præcepto. (2)

5 Sit ita sane. Quare ergo hos Testes Animadversio non expunxit? Nam in superiore Responsione hoc illi integrum fecimus, siquidem probavimus (3), Causam his Testibus minime

(1) *Animad.* §. 2.
(2) *Animad.* §. 2. *et* 8.
(3) *Nov. Resp. cap.* 1. *art.* 1. §. 9. *pag.* 3. *et seq.*

me indigere, cunctaque Miraculorum adjuncta cæteris, qui supersunt tresdecim pro primo Miraculo, quindecim pro secundo, quique sunt singuli *contestes de visu*, abunde probari. Hac igitur a Nobia facta potestate quare non utitur? Video causam. Quia videlicet his expunctis, plurima ipsis Animadversionibus materies defuisset. Itaque demonstrabo dictis Testium, qui suspiciosi dicuntur, ut plurimum Animadversiones coalescere.

6 Itaque me jam quasi tædet, hoc meæ defensioni onus incumbere, ut Testium fidem contra Animadversiones vindicare debeam. Atque id imprimis ope ipsarum Animadversionum præstabo. Nam cum propter Ecclesiastici Præcepti violationem Testes nulli censuræ fuerint irretiti, cumque illos a censura purget eadem Animadversio, quæ dicit (1): *Sint ipsi licet a pœna immunes excommunicationis*: quid tandem est causæ, quod contra ipsos ingerat in judicio suspicionem? At subdit Animadversio (2) *Nemo omni vacuos culpa, atque adeo optimæ fidei eos dixerit, qui præceptis haud pareant Ecclesiæ.* Hunc canonem unde hausit Animadversio, aut quomodo probat? Dum enim objicit verba, aerem verberat.

7 Atqui si hujusmodi Testis non optimæ fidei habendus, si tamquam suspiciosus traducitur, si propterea a judicio repellitur, quid ergo dicemus de illis, qui Dei præcepta transgrediuntur? Nonne potiore jure a judicio propulsabimus? Ergo qui Deum non totis viribus aliquando dilexit, qui aliena aliquando concupivit, qui aliquem læsit, hujusmodi foras a judicio. Ergo Sanctos omni culpa vacuos in posterum Testes adhibebimus? At judicia in terris, non in Cœlo exercemus.

8 Esto: Suspicionis rationem probare Animadversio non potest. Equidem, etsi eo tempore vivamus, quo tempore omnia derilamentorum monstra typis eduntur, numquam tamen legi, eos, qui aliquando in Ecclesiæ præcepta, aut Dei mandata peccaverint, sibi in judicio minuere fidem, et perjurii labem inurere. At legi Testes ab inanibus suspicionibus per juramentum purgari, propterea quod in jurejurando tota vis, et substantia testimonii consistat *L. Testium. L. Jurisjurandi Cap. de Testibus. Cap. Si testes quæst.* 3. *Cap. Hortantur* 3. *quæst.* 9. *Cap. Nuper. Extravagant. de Testibus.* Verall. *decis.* 266. *part.* 3. Singulos autem nostros Testes esse juratos negari nullatenus potest, propterea quod juramentum acta perhibeant.

9 Legi utroque jure sive Cæsareo, sive Pontificio illos unice ab officio Testis excludi, qui infamia aut juris aut facti labo-

(1) *Animad. cit.* §. 2.
(2) *Loc. cit.*

borent. *Cap. Infamis persona* 1. *Cap. Infames* 2. *caus.* 3. *caus.* 3. *quæst.* 7. *Cap. Licet* 23. *cap. Testimonium* 54. *de Testibus L. Testimonium* 3. §. 1. *ff. eodem.*

10 Legi nullam neque facti, neque juris infamiam eos suscipere, qui occultum peccatum aliquando patraverint, qui non omni vacent culpæ suspicione. *Cap. ex tenore* 3. *Cap. ult. de temporibus ordinatio.* quod et tenet Glossa *in Cap. Inquisitionis de accusationibus.* Covarruvias *lib.* 3. *variar. resalut. cap.* 3. *num.* 3. Navarr. *cap.* 27. *num.* 258. Henriquez *lib.* 13. 38. *et lib.* 14. *cap.* 5. *num.* 1. Avila *part.* 7. *disp.* 3. *dub.* 7. *conclus.* 1. Sanchez *in lib.* 2. *Moral. cap.* 126. *num.* 1. et alii passim.

11 Quæ omnia etiamsi deessent, numerus tamen reliquorum Testium, et Caussæ qualitas suspiciosos substineret. Nam primo cum quindecim super altero Miraculo. et duodeviginti super altero fuerint rogati Testes, cumque reliqui ab exceptis nullum patiantur defectum, Leges constituunt, ut suppleat numerus, quod in fide deficit. Ita Glossa *in L. Testimonium ff. de Testibus verb. numerus* = ibi = *Numerus supplet, quod in fide deficit, idest, licet Testes non sint multum boni, ut quod deficit in fide, suppleat numerus* = Rota = *recent. part. II. decis.* 34. *num.* 3. = ibi = *Testis fides suppletur ex numero aliorum Testium id deponentium* = Glossa = *ubi ampliatur id procedere, quamvis omnes paterentur aliquem defectum, quando sunt ultra numerum trium* = *Et decis.* 187. *num.* 83. Tiraquellus *de pœnis temperan. caus.* 51. *num.* 119. = ibi = *Leges nostras tanti facere probitatem, fidemque, atque integritatem unius hominis, ut ex eis suppleant, quod deest alteri deploratæ fidei, et opinionis*: et num. 121. Dicit. *Baldus post Butrium, quod si unus non sit omnino idoneus, quia forte infamis est, infamia facti, propter quam non est integer Testis ec. tamen si habet contestem notæ, et spectatæ fidei, illius depositio ab isto ita substentabitur, ut ambo faciant plenam probationem, veluti integerrima alterius fides alterius defectum, et imperfectionem suppleat.*

12 Causæ deinde qualitas ea est, ut cum circa duo facta, hoc est, circa duas portentosas sanationes versetur, eos, qui factis interfuere, necessario ad examen requirat. Sive igitur sint spectatæ fidei, sive non omnino ab omni culpa vacui, necessarii sunt, et ad judicium necessario, ne secus probatio pereat, admittendi, uti asserit Gonzalez *in Cap. Testimonium de Testibus num.* 10. et in dicto cap. etiam Fremosin. *quæst.* 1. *num.* 28. et in termino Miraculorum Matthæucc. *in praxi ad caus. Beatifi. tit.* 3. *cap.* 2. *num.* 6. Atque in Miraculorum judicio eo magis Testes, qui sanationi interfuerunt, utcumque demum sunt, videntur admittendi, quod ex nostris Legibus, atque ex novissimis generalibus de-

decretis anni 1741. et anni 1754. probationes nonnisi ex Testibus *Contestibus de visu* possunt coalescere.

13 Verum quid ulterius disputamus? Ut Testes optimæ fidei Animadversio agnoscat, omni vacuos culpa desiderat. Atqui eos, quos criminosos putat, hujusmodi exhibemus. Nam superiore in Responsione (1) fidem ipsius Cryptalearum Archipresbyteri exhibuimus, qua ex suis regestis invicte probat, Testes V. IX. XVIII. XXIII. et XXVI. de sua negligentia quoad Paschalis præcepti satisfactionem monitos pudore suffusos superioris vitæ rationem emendasse, seque prius quam Apostolicos ante Judices sisterent, Sacramento Pœnitentiæ expiasse, Sacramentum etiam Eucharistiæ suscepisse. Porro Sacramenti Pœnitentiæ, quemadmodum Cathechismo Romano edocemur, effectus est = *ut nos in Dei gratiam restituat, cum eoque summa amicitia conjungat.* = Sacramento igitur purgati, omni prorsus culpa vacare debuerunt, eamque ob causam legitime testimonium dixerunt, neque sunt a judicio repellendi, prout docet Fremosin *in Cap. Testimonium de Testibus quæst. 1. num.* 32. Nam personarum conditio, et qualitas eo demum tempore inspicienda est, quo testimonium dicunt, ut egregie Testus in C. ad Testium §. 1. *ff. de Testamentis* = ibi = *Conditionem Testium tunc inspicere debemus cum signarent* = Et tenent Faber *in rational. super dict.* §. 1. *in princ.* Et Cujacius *in d. tom.* 1. *Neapol. col.* 1050. *lit. E.*

14 Quibus omnibus cum Testium personis auctoritatem ac fidem satis superque asseruisse videamur, ad eorum dicta ab Animadverionum laqueis extricanda oportet festinemus.

15 Nam si R. P. Fidei Promotorem audiamus (2) Testes *inter se dissentientes sibi invicem adimunt fidem, quæris causam morbi, unde ejus indoles, et gravitas queat dignosci? Frustra quæras ex Testibus, quorum alii, ut alias advertendum fuit, pro causa assignent = un urto nel malleolo = alii = una tuzzatura di scarpe = alii = aver posto piede nell' acqua* = Hæc, inquam, R. P Fidei Promotor. Sed Acta consulamus. *ANIMAD. §. 3.*

16 *Ho sempre inteso di essere stata prodotta da un urto nella gamba*: ita Testis V. deponit (3): *Io sempre ho veduto Gaetano Santaro con questa piaga, e l' istesso mi diceva di tenerla da quarant' anni, e mi diceva di più, che gli era nata per una tuzzatura di jamba con jamba* ita Testis IX. (4) Hæc ex Summarii tabulis haurimus: alia enim objecta

(1) *Resp. ad Nov. Animad. cap.* 1. *art.* 1. *pag.* 11. §. 25.
(2) *Animad.* §. 3.
(3) *Summ. pag.* 8. §. 51.
(4) *Summ. pag.* 13. §. 96.

cta verba = *un urto nel malleolo* = *una tozzitura di scarpe* = nemo ex Testibus, quoad senserin, deposuit. Hec autem si demas ab Animadversionibus, quæ hos Testes V. et IX. suspectos traducunt, nihil aliud remanet, nisi dictum ipsius Cajetani Santoro Testis II., qui ita deponit (1): *Mi venne questa piaga prodotta da una risipola cagionata dall' aver posto il piede nell' acqua, per eseguire la mia professione di Conciapelli, da questa risipola fu cagionata una piaghetta, quanto un occhio di gallina, quindi con varj rimedj fattimi applicare, andò sempre crescendo etc* Quod et confirmat Testis III. qui ait (2) *La sua piaga ebbe origine dalla sua professione di Conciapelli.*

17 Ergo habet Animadversio veram ulceris causam ab ipso ægroto de propria scientia testatam, ductamque ab arte sordida Coriarii, et a necessitate detinendi pedes in aqua, quæ quidem ars et necessitas erysipelas promovit, unde ulcus incurabile. Hanc porro veram, primamque causam Animadversio agnoscere necessario debet. Nam, etiamsi Testibus V. et IX., qui ulcus a contusione deducunt, fidem tribuere velimus, tamen, quia *de auditu* deponunt, magis concedendum est ipsi Cajetano Santoro, qui *de propria scientia* testatur, uti multis auctoritatibus, et rationibus probat Benedictus XIV. *lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 1. *et* 2.

18 Illam quoque causam ulceri Santoriano attribuit Cl. ipse Petrus a S. Congregatione consultus, qui in suo Voto pro veritate scripsit (3) „ Ita *Santorum* quem natura robustum, „ sanumque instituerat, ars sordida, cui se addixit, male „ habentem, et valetudinarium effecit: ars illa lymphaticos „ latices ita corrupit, ut serum acre cutem ad phlogosim „ usque irritaverit, *erysipelam* produxerit, ex qua *ulcus* per „ annos 42. insanabile, non causa locali, et externa, sed „ universali, atque interna productum. „

19 Jam vero postquam ipse ægrotus de propria scientia ipsius suæ artis exercitationem, erysipelamque ulceri causam assignaverat: postquam Cl. Peritus ab eadem arte ipsum ulcus derivaverat, rationem addens, quod sordida ars Coriarii limphaticos latices ita corrupit, ut serum acre cutem ad phlogosim usque irritaverit, erysipelam produxerit: postquam etiam ulcus insanabile pronunciaverat, et a causa interna, atque universali productum asseruerat, proprium erat Animadverionis hæc aut inania, aut minus credibilia probare: non autem verba obtendere, et dicere: *certum videri potest causam ulceris non ex infecto profectam sanguine cum inflammatione, rubore, dolore fuisse, ut erysipelas dici queat, atque hinc certum Miraculi primum extremum constituere, sed omnino fuisse extrinsecam, quo in casu* haud

(1) *Summ. pag.* 3. §. 13.
(2) *Summ. pag.* 6. §. 32.
(3) *In Vot. pro verit. pag.* 5. §. 16.

haud necesse esse ad miraculum confugere sanationis, quæ ut non raro contigit, naturaliter haberi potuit.

19 Interim Cl. Periti judicium, utpote nulla argumenti vi refutatum, necessario tenendum protuemur, eoque vel magis, quod illi imprimis S. Congregationem adhærere debere docet Benedictus XIV. (1) conceptis verbis = *Apud Sacram quippe Congregationem ipsorum judicium pluris æstimatur* =. Neque tamen aliam ulceris causam a Testibus V. et IX. proditam, et a contusione derivatam omnino rejicimus. Attamen dum hanc quoque admittimus, duo simul defendimus: neque propterea Testes inter se dissidere: neque propterea necessario consequi ulcus Santorianum malæ indolis esse non debuisse, adeoque facili negotio sanandum.

20 Quid enim primo repugnat, unicum morbum duplici e causa generari? Immo ex communi Medicorum consensu tres in quolibet morbo internoscuntur causæ, *remota*, *occasionalis*, et *proxima:* et in casu nostro ex contusione remotam, ab erysipelate, seu ab artis coriarii exercitatione occasionalem, ex utriusque conjunctione proximam ulceri suppeditatam esse causam in prima Responsione (2) explicavimus. Igitur quæ ea discordia est, ut alii ex Testibus remotam, alii occasionalem in medium proferant morbi causam? Neque enim, quod unus negat, id alius asserit, sed quod alter non retulit, id cæteri exposuerunt. Ita Sanatus quod in se cognovit, Testes quod dici audiverunt, testati sunt. Atqui nullum exinde Testium dictis præjudicium. Nam in Responsione ad novas Animadversiones (3) exposita Benedicti XIV. auctoritate, et S. Thomæ doctrina constituimus, proprie dictam contrarietatem, quæ in eo consistit, ut alter affirmet, quod alius negat, Testibus minuere fidem, si modo accidat in *substantialibus*, hoc est *in facto principali*: aliquam vero inter Testes varietatem, præsertim *in accidentalibus*, qualis est causa morbi, fidem conciliare.

21 Re sane vera *causam* in morbis, præsertim cronicis, longissimoque temporis intervallo duraturis, circumstantiam mere *accidentalem* constituere exinde licet arguere, quod causæ cognitio nihil ad morbi prognosim conferat. Hinc Sauvagesius (4): *Evidens est, non EX PRINCIPIIS, sed EX SYMPTOMATIS morborum characteres esse deducendos* = Hinc etiam Swietenus (5) *Diagnosis fundamentum est cognitio morbi in sua natura EX EFFECTIBUS PRAESENTIBUS* =. Quod si

(1) *Lib.* 4. *part.* 1. *cap.* 8. *num.* 5.
(2) *Prim. Resp. cap.* 1. *art.* 2. *pag.* 8. §. 24.
(3) *Cap.* 1. *art.* 2. *pag.* 14. §. 33.
(4) *Nosolog.* §. 65. *et seq.* §. 73. §. 182.
(5) *Ad aphor.* 27. §. 1.

si hæc Medica theoremata omnibus morbis conveniunt: multo magis iis sunt aptanda, qui exterius patent. Hinc qui de *ulceribus* scripserunt, a quavis alia re, quam a causa ulcerum prognosim dignoscendam tradiderunt. Etenim = *Maligna, curatuque difficilia non sine ratione judicantur esse ulcera, si homo afflictus infirmioris, scorbutici, vel hydropici etiam habitus est: si nimis tenue, acre, foetidum, flavum, albicans, atque subrubrum, subviride, aut subnigrum, vel et nimis crassum lardoque haud absimile pus deprehenditur. Aeque periculosum vitium subest, ubi vel interioribus ægroti doloribus urgentur, vel sic etiam comparata esse ulcera reperiuntur, ut vulneris, atque abscessus recentis per digestiva balsamaque vulneraria curationem haud quaquam recipiunt* = Scribit Heisterus (1). *Il pronostico si dedurrà in generale dalla qualità dell' ulcera, dall' importanza della parte affetta, dalla quantità della perdita giornaliera di umori, e da molte altre differenze, secondo le quali possono le ulcere risultare, o un mal leggero, e facilmente sanabile, ovvero più grave, pericoloso, od anche mortale* = Addit Monteggia (2). *Il pronostico delle ulcere si dee trarre primieramente dalla loro grandezza; dalle forze, e temperamento del malato: la grandezza si giudica ec. Ma il pronostico della cura di un ulcera meglio ancora si trae, sendo tutte altre cose eguali, dalla quantità, e qualità delle materie, che ne scolano, le quali debbono dimostrare la forza delle intemperie, che ha promossa, ed accompagnata l' ulcera.* = Docet Bertrandus (3).

21 Jam vero, ut hæc Medica principia casui nostro applicemus, si ex *præsentibus* effectibus morbus dignoscitur, quid ad ulceris Santoriani prognosim refert scire causam, quæ, cum sanatum fuit, *PLUS QUAM QUADRAGINTA ANNIS* præcesserat? Item si, ut ait Bertrandus, symptomatum qualitas vim causæ, quæ morbum primitus determinavit, indigitat; ergo præpostera est doctrina Animadversionis, quæ ex qualitate causæ, sive interna, sive externa cognoscere contendit, utrum ulceris sanatio naturaliter potuerit evenire. Certe causa ulceris Santoriani fuit hujusmodi, ut ulcus generaverit ultra quadraginta annos duraturum, immo vero, numquam nisi per miraculum desiturum. Ergo causa, sive interna fuerit, sive externa, oportuit malæ indolis fuisse. Idem ulcus Cl. Peritus (4) cognovit *inveteratam, sordidum, callosum, oris excedentibus, latissimum, profundissimum, subnigrum, cum do-*

(1) *Instit. Chirurg. lib. 5. part. prim. cap. 1. §. 6.*
(2) *Instituz. Chirurg. part. 1. tom. 2. cap. 19. num. 816.*
(3) *Opere Anatom. et Chirurg. tom. 4. art. 1. num. 9.*
(4) *In Vot. pro verit. pag. 4. §. 11. fin.*

dolore, humore, vermibus, hæmorhagia, et vesiculis undique septum. Ergo debuit a causa maligna proficisci, quæcumque ea demum supponatur.

23 Postremo Testes in actis duas assigant ulceri causas, internam, et externam, *corruptos* nimirum *humores*, et *contusionem*. Deest autem ratio, quare Animadversio externam admittat, internam rejiciat. Nam Testium dicta scindi, et partim admitti, partim rejici omnia iura vetant. Itaque necesse est, utramque adoptet, et externa causa admissa, multo magis internam agnoscat, tum quia hæc ab ipso ægro deponitur, tum quia vera causa a Cl. Perito ulceri Santoriano assignatur, tum quia arti Coriarii, quam Santorius exercebat, aptissime accomodatur, et convenit. Quod si corrupti humores, ac erysipelas per se ulcus pessimæ indolis procreant, uti prævia in Informatione probatum est (1), multo magis ex causarum conjunctione hujusmodi debuit enasci.

24 Hæc de causa morbi fuerunt disputanda, ut contra Animadversiones Testibus non solum quoad personas, sed etiam quoad dicta fidem assereremus. Sed morbi gravitas dilucidior etiam apparebit ex iis, quæ modo dicenda aggredimur

DE MIRACULIS

25 Egregio Fidei Promotori Miracula expendenti plura videntur non potuisse fieri, eaque miratur, quomodo evenire sine multis miraculis potuerint. Attamen cum ea revera facta esse ab actis constet, pleræque illius Animadversiones unico illo philosophico adagio eliduntur = *A posse ad esse non valet illatio* = Sane quoad

MIRACULUM I.

Instantaneæ, perfectæque sanationis Cajetani Santoro annorum 84 ab ulcere inveterato, maligno, insanabili in dextero crure.

26 In primis miratur quomodo, *si ulcus Cajetani pessimæ fuisset indolis per tantum temporis spatium numquam ex ulcere exorta fuerit gangræna, non cancer, quæ tamen in corpore, præsertim senili, negligenterque, ut in casu, curato ulcere, cum callo, et oris crassis, aliisque corruptionis signis supervenire solere monet Celsus de Medicina cap. 26. §. 31. de ulceribus, quæ extsinsecus per vulnera incidunt*: idque novum putat Miraculi genus (2). *ANIMAD. §. 4.*

(1) *Mir. I. art. 4. pag. 18. §. 27.*
(2) *Animad. §. 4.*

27 Atqui Santorianum ulcus ultra quadraginta annos perdurasse, quin umquam aut in cancrum, aut in gangrænam abierit, facto patet, idque de propria scientia testantur in Summario Chirurgus Curæ Josephus Magiulli, ipse ægrotus Cajetanus Santoro, ejusque filius Horatius (1), quibus et alii Testes cohærent. Ergo fieri potuit. Nam id etiam experientia demonstrat. Quis enim negare potest, se multis, multisque annis vidisse præ domorum foribus, in externis Ecclesiarum gradibus homines crura ulcerata præseferentes? quibus si aut cancer, et gangræna accessisset, ad annos profecto se conspiciendos non exhibuissent.

28 Ergo Animadversioni id oneris inerat, ut probaret, maligna ulcera, quale Santorianum ulcus in titulo delinimus, solere in cancrum, aut gangrænam desiisse. Neque enim illi quidquam suffragatur doctrina Celsi, quam nobis opponit. Hæc enim summus ille auctor habet *loc. obj. lib.* 5. in quo loquitur de curatione vulnerum. " Hæc ordo felicis curationis est: „ sed quædam tamen pericula incidere consuerunt. Interdum „ enim vetustas ulcus occupat, inducturque ei callus, et „ circum oræ crassæ livent: post quæ quidquid medicamentorum ingeritur, parum proficit: quod fere negligenter „ curato ulceri supervenit. Interdum vel ex nimia inflammatione, vel ob æstus immodicos, vel ob nimia frigora, vel „ quia nimis vulnus adstrictum est, vel quia corpus senile, „ aut mali habitus est, cancer occupat. Id genus a Græcis „ deductum in species est, nostris vocabulis non est. „

29 Itaque doctrina Celsi hæc est, ut dicat, in vulnerum curatione plura incidere solere pericula, atque inter ea recenseat *interdum* superveniens ulcus callosum, *interdum* exorientem cancrum. Tantum abest, ut doceat, ulcera in cancrum finire solere.

30 Immo vero, quod maxime ad rem nostram confert, tradit Celsus, ulcus callosum, cum oris crassis, negligenterque curatum, cujusmodi est Santorianum, esse consuescere annosum, ac diuturnum, propterea quod *quidquid medicamentorum ingeritur, parum proficit.* Tradit insuper, cancrum in vulneris curatione oriri *vel ex nimia inflammatione, vel ob æstus immodicos, vel ob nimia frigora, vel quia nimis vulnus adstrictum est, vel quia corpus senile, aut mali habitus est*: quæ omnia ne captari quidem Ulceri Santoriano possunt, ut exinde concludatur, ulcus in cancrum abire debuisse. Nam si corpus senile excipias, nunquam in Summarii tabulis aut nimiam inflammationem, aut immodicos æstus, aut nimia frigora nominata reperies, ne malum quidem Santoriani corporis habitum. Nam qui de habitu Cajetani Santoro loqu-

(1) *Sum. sup. I. Mir.* §§. 1. 13. 50. *et* 57.

quuti sunt Testes, omnes in eo consensere, ut bonum asseruerint. Sic V. Testis (1): *Il complesso di mio Padre è stato sempre buono* = Et VIII. Testis = *Il complesso di detto Gaetano Santoro, allorchè putiva la detta piaga, era buono* = Et X Testis = *Il complesso di mio Padre, quando aveva la piaga, era buono* = Et XI Testis = *Il complesso di detto Gaetano era buono* = Et XXXII Testis ex Off. = *Oltre il male della gamba, che mi pare, che sia stata la destra aveva un mediocre complesso di salute* =. Iis ergo omnibus deficientibus, unde in vulnerum curatione cancri periculum imminuere potest, ex objecta ipsa Celsi doctrina neque cancer, neque gangræna ex ulcere Santoriano oriri oportuit.

31 Quæ dum ex Celsi doctrina deduco, haud inficior dari ulcera cancerosa, gangrænosa, fistulosa, scorbutica, et alia hujus generis plura, sed hæc a peculiaribus morbi, aut corporis dispositionibus pendere nemo non videt. Si homini scorbuto affecto ulcus superveniat, ulcus evadere posse scorbuticum, facile perspicitur Si glandulæ, in quibus maxime cancer serpit, ob vulnus fuerint incisæ, quid facilius, quam ut in curatione periculum ulceris cancerosi incidat?

32 At in Cajetano Santoro sordida ars Coriarii corruperat humores; corrupti hi humores exitum sibi in crure paraverant ulcus efformando, in cæterum bono corporis habitus Cajetanus fruebatur: hinc minime opus fuit, ut in alium morbum ulcus degeneraret. Quia vero ulcus ipsum erat per totum duplici calloso giro obvallatum, quia callum non solum extirpatum numquam fuit, sed ne tentatam quidem extirpationem unquam legimus, inde factum est, ut numquam fuerit sanatum. In ulceribus siquidem callosis, et nimium inveteratis, si ea potis est sanare, præcipitur, *quidquid induratum animadvertitur, totum aut scalpello excidere, aut ferro candenti adurere*, uti apud Heisterum (2) et confirmat Bertrandus (3) = *Queste cagioni si devono tutte rimuovere, ed evitare, perchè non diventi un ulcera callosa, ma quando ella sia fatta tale NON POTRA' MAI RIEMPIRSI, E CICATRIZZARSI, SE NON SI TOGLIE IL CALLO, il quale è non meno d' impedimento alla necessaria approssimazione delle parti, che alla cumulazione, ed assodamento di quel concremento inorganico.* = Quapropter Santorianum ulcus, quin unquam in alium converteretur morbum, naturali ordine, ac sine miraculo potuit ad annos quadraginta perdurare.

33 Post hæc vult demum Animadversio potissimam rationem,

 qua-

(1) *Sum. sup. I. Mir.* §§. 56. 86. 113. 137. *et* 170.
(2) *Institut. Chirurg. lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 5.
(3) *Trattato delle Ulcere tom.* 4. *art.* 5. *num.* 31. *pag.* 27.

Digitized by Google

quare ulcus in gangrænam non desierit? Quia, ne id fieret, opportunis pharmacis consultum. Nam quia subniger fortasse ulceris color imminentis gangrænæ metum ingerebat, idcirco ægrotus = *si lavava la piaga coll' acqua di camomilla, e col vino caldo, perchè così gli era consigliato dai conoscenti, e dal Medico, per non far gangrenare la piaga.* (1) Ergo sine Miraculo naturalis pharmacorum efficacia gangrænam prohibuit.

34 *Mirandum præterea*, ait Animadversio (2) *quomodo ægrotus substinere potuerit linguam canum sæpe sæpius plagam lambentium.* Naturali modo, quemadmodum cætera pharmaca substinentur. An ignorat, salivam ulceribus aptissimum esse medicamentum? Omitto Sanctorum exempla, qui ulcera lambendo sanaverint. Sed auctoritatem Philippi Ambrosii Marherr in suis præelectionibus in Boerhaave tacitus non præteribo. *Habet enim*, inquit (3) *saliva saponaceam indolem: omnia vero saponacea detergent. Maculas pingues perinde fere ut sapones faciunt, saliva deterget. Vulnera etiam mundat, et ad consanationem disponit. Notum enim est, quod Canes propria vulnera solum lambendo consanent, nec Chirurgo indigeant. Et celebre habetur exemplum* in actis naturæ curiosorum *de Muliere, quæ vulnus filio inflictum lambendo tantummodo consanavit.*

35. Miratur etiam Animadversio (4), quomodo Cajetanus *ambulare potuerit, immo victum quotidie laboribus, et quidem onerosis sibi et familiæ comparare. Audiamus omnes pessimo laborantes ulcere, et videamus an labor sit eis possibilis. Decumbunt, ululant, lamentantur, ac desides nequeunt ne lento quidem gradu incedere.* Hactenus nonne nostrum Cajetanum descripsisse videtur Animadversio? Quem quidem fames, qua nullum gravius profecto malum, dolentem lugentem foras trahebat, per compita ad apothecam ducebat, a qua ob ipsam laboris impotentiam extruditur. Testes audiamus (5) = I. Testis = *Camminava A STENTI CON DOLORE, appoggiandosi alla mezza* = II. Testis ipse ægrotus = *La detta piaga mi cagionava dolore* = V. Testis = *Il male crebbe tanto, che si ridusse A CAMMINARE A STENTO COLLA PUNTA DEL PIEDE appoggiato alla mazza* = VI. Testis = *In quanto al dolore, sentiva da mio Padre, che*

(1) *Sum. num.* 1. *pag.* 17. §. 130.
(2) *Animad. cit.* §. 4.
(3) *Tom.* 1. §. 66. *pag.* 229. *edit. Viennæ et Lipsiæ* 1772.
(4) *Animad. cit.* §. 4.
(5) *Sum. sup. I Mir.* §§. 10. 15. 54. 79. 86. 88. 91. 110. 129. 134. 150. 169.

che sempre durava = VIII. Testis = *Camminava a stento, lavorava con patimento: LAVORAVA A STENTI, E PERCIO' LO LICENZIAI DALLA MIA BOTTEGA* = *Umanamente non poteva fare una cura, perchè DALLA GIORNATA DOVEVA VIVERE, e perchè doveva andar giornalmente dalla Casa alla Bottega* = IX. Testis = *Camminava zoppo, appoggiandosi alla punta del piede* = X. Testis = *COME POVERO UOMO DOVEA FATICARE PER DAR SOSTENTAMENTO A SE, ED AI FIGLI* = *Camminava zoppo colla mazza appoggiando soltanto la punta del piede malato, e sentiva dolore, come esso diceva E PIANGEVA, E CAMMINAVA, PERCHE' SI MORIVA DI FAME, ed andava alla Casa del Beato Francesco per camminare, e per andare a procacciarsi il vitto* = XIII. Testis = *L'ho veduto camminare colla mazza zoppo, E STRASCINANDO IL PIEDE* = XXXII. Testis ex Off. = *QUANDO POTEVA, andava a fatieare nella Bottega di Pellettiere* = Quid amplius desiderabitur?

36. Hisce omnibus a stupore atque admiratione quasi recreata Animadversio, subito quærit testimonia Medicorum curæ (1), quorum judicium ait haberi tantum a Sanato, atque ex Testibus de auditu a Sanato; unicum vero Medicum, qui affertur, neque de simptomatibus docere, neque de ultimo morbi statu. ANIMAD. §. 5.

37. Ea contra quæri poterit, quo jure Animadversio in nostro casu testimonia exigat, atque judicia Medicorum curæ. Agimus de Miraculo: Testes *contestes de visu* In quæstionibus de Miraculis generalia decreta præcipiunt: hujusmodi attulimus: plenam hisce Testibus probationem effecimus: hisce judicandum. Siquid ulterius Animadversio requirat, adeat Cl. Periti a S. Congregatione consulti judicium, cui plusquam cæteris Medicis ac Peritis fidendum nuper cum Benedicto XIV. tradidimus, ac modo repetimus = *Apud Sacram quippe Congregationem ipsorum judicium pluris æstimatur, quam aliorum, qui pro causæ opportunitate scribunt, NEC NON CAETERORUM, QUI CURATIONI AEGROTANTIS OPERAM PRESTITERUNT.*

38. Atque Medicorum curæ sive testimonia, sive judicia nullo prorsus jure requiri exinde magis confirmatur, quod ipse Benedictus XIV. (2) quærens de Medicis, qui infirmum curarunt, qui dicitur per Miraculum consequutus fuisse sanitatem, quæreus, inquam, an eorum examen sit utile, deinde an necessarium? pro utilitate quidem pronunciat, uti etiam in supe-

(1) *Animad.* §. 5.
(2) *Lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 8. *et* 9.

peiore responsione docuimus (1), haud ita tamen pro necessitate: verum allegat auctoritatem Mattæ, Contelorii, Rosæ, ac Matthenecii necessitatem curæ Medici excludentium in morbis præsertim chronicis, ac diuturnis, et in quibus Testes asserunt morbi characteres, specifica remedia incassum applicata, sanationem sine crisi factam: in medium insuper affert exemplum in Causa S. Ludovici Bertrandi, in qua sanatio strumosæ fæminæ inter Miracula recensita fuit sine Medicorum curæ testimoniis (quibus addi possunt exempla in causis S. Catharinæ Fliscæ, B. Coletæ, ac S. Joannis Cantii, in quo approbatum fuit Miraculum *sanationis a febri*, qui quidem morbus totus est internus, et in quo non Medici, sed rudiores tantum personæ testimonium dixere): suam denique Summus ille Pontifex prodit sententiam, in qua etsi caute procedendum moneat, censet tamen miracula admittenda, *etiamsi desit testimonium Medici, qui ægroto adfuit, in eo solo casu, ubi cæteri Testes apti, et idonei clare qualitates morbi assererent, ubi morbus ex eis esset, qui per se patent, et etiam a non Medicis et Chirurgis cognosci possunt; ubi medicamenta ab eis exprimerentur, quæ ægroto fuerunt adhibita: ubi de statu antecedenti desperato, et de subita sanatione, invocato prius Beato, una cum virium recuperatione testificarentur.* (2)

39. Atqui nos in eo solo casu versari tam exploratum est, ut nova minime indigeat probatione. Ecquis enim negaverit, ulcus in crure esse morbum, qui per se patet, quique a non Medicis et Chirurgis dignosci queat? Medicamenta non solum fuisse adhibita, sed etiam incassum adhibita, utpote vel inutilia, vel noxia, in superiore Responsione ad Novas Animadversiones (3) probatum est, et inferius etiam confirmabitur. Prævia in Informatione nostra articulo primo per totum (4) pessimos Santoriani ulceris characteres Testium dictis enumeravimus: pariterque in articulo quarto (5) ex teterrimis illius symptomatis ulcus inveteratum, malignum, insanabile, Medicorum auctoritatibus constituimus: quod et deinde Cl. Petitus præstitit in suo Voto pro veritate. Subitam sanationem ad B. Francisci de Hieronymo invocationem cum virium recuperatione, tituli pariter secundus et tertius ejusdem Informationis (6) demonstrant.

40. De

(1) *Resp. ad Nov. Animad. pag.* 41. §. 32.
(2) *Idem loc. cit.* §. 9. *infin.*
(3) *Pag.* 29. *a* §. 64. *ad* §. 69.
(4) *Inf. art.* 1. *a pag.* 3. *ad* 13.
(5) *Ibid. a pag.* 18. *ad pag.* 24.
(6) *Ibid. a pag.* 13. *ad pag.* 18.

40. *De statu antecedenti desperato* etsi alias quoque actum fuerit, nonnulla tamen hic prælibare operæ pretium existimo. Nam Testes non solum ex symptomatibus ulceris, quæ propriis oculis noverunt, sed, quod multo magis est, ex testimoniis Medicorum, et Chirurgorum, qui ulcus inspexerunt, et curarunt, prognosim desperatam deponunt. Ita enim ipse Cajetanus Testis II. (1) = *Riguardo ai Professori Chirurgi, sono quelli, che ho nominato precedentemente* (Angelum Enriquèz, et Franciscum Magiulli prius nominaverat), *i quali mi dicevano, che la morte avrebbe riparato alla piaga, ed i medicamenti mi facevan piuttosto male, che bene ec. Il Dottor D. Francesco Magiulli mi disse che non si poteva curare, e questo si ripeteva da tutti quelli, che la vedevano* = IV. Testis = *Ho inteso dallo stesso Chirurgo D. Giuseppe Magiulli, che anni indietro fu Egli chiamato dal detto Gaetano Santoro per aver qualche rimedio alla piaga, e che gli disse, che la piaga era incurabile. Dal riferito Don Giuseppe Magiulli, allorchè mi parlò della piaga di Gaetano Santoro, ho sentito, che Egli l'aveva giudicata incurabile* = X. Testis = *Dallo stesso mio Padre sentii dire, che Don Giuseppe Magiulli gli avea detto, che la piaga non si potea sanare, e solo Gesù Cristo poteva salvarla ec. Mi ricordo, che i Medici si allontanavano, perchè dicevano, che la piaga non si poteva sanare, e così dicevano anche altri* = XXXII. Testis ex Off. = *Ho inteso dire, che i Professori avevano abbandonato Gaetano Santoro, perchè non curava.*

41. Ex hactenus expositis duo cognoscat Animadversio: 1.° Judicia Medicorum curæ non haberi tantum ab uno Sanato, sed ab aliis etiam Testibus, qui suæ scientiæ causam non a Sanato, ut ajebat, sed ab ipsis curæ Medicis hausisse deponunt. 2.° Miraculosam ulceris Santoriani sanationem ejus esse profecto generis, in qua Medici curæ testimonium, judiciumque nullo pacto sit necessarium. Accedit, quod rem nostram maxime confirmat, ut in eo requirendo nullo jure, nulla lege utatur ipsa Animadversio, cum nihil horum in medium afferat. At quia id ipsum curæ Medici testimonium judiciumque causæ utillimum est, profecto in Actis haud desideratur. Primum siquidem inter Testes in Apostolica Inquisitione locum habet *Doctor Physicus Josephus Magiulli*, qui suam ulceri Cajetani Santoro curam postremis annis adhibuit, cui primis annis suus pater Franciscus tempore Inquisitionis defunctus item præstiterat.

42. Hunc igitur curæ Medicum, quem præter necessitatem rogatum videt præclarissimus Censor, ut excipiat, unum impri- *ANIMAD. cit. §. 5.*

(1) *Sum. sup. I. Mir.* §§. 16. 17. 41. 42. 131. 132. *et* 172.

primis dicit (a). At si miser Coriarius unicum adhibuisset, quid tandem obesset? Nam et unicum Medicum Peritum eligere, et consulere solet ipsa S. Congregatio. Sed in superiore Responsione probatum est, reliquos curæ Chirurgos tempore Inquisitionis diem obiisse supremum. Neque mirum videbitur post sanationem morbi, qui ultra annos quadraginta persistit, unicum superfuisse curæ Chirurgum, qui in Actis rogaretur.

43. Hunc pariter, ioquit Animadversio, parum nos docere de symptomatibus morbi. At quid minus vere objici poterat? (Pace dixerim præclarissimi Censoris). Recitabo ipsius Josephi Magiulli verba (b) = *Nell' Età dell' anno mille ottocento ventidue, trovandomi in Grottaglie per i miei affari famigliari, fui chiamato da Mastro Gaetano Santoro allora di anni settantadue circa, dell' istesso Comune di Grottaglie, di condizione Conciapelli, per guarirgli una larga piaga, che da circa trentaquattro anni portava nella gamba dritta. Avendola osservata, trovai di fatto una vasta ulcere, che occupava tutta la parte interna di detta gamba, e propriamente da sotto il ginocchio, sino sopra al malleolo interno, con bordi callosi, e carne bavosa, tramandante della marcia, icorosa, che stomacava chiunque la vedeva* = (Hoc autem naturale in homine fastidium nimis ab Animadversione exageratur) = ... *Quando Gaetano Santoro mi mostrò la piaga, la trovai dilatata nella grandezza di un Ostia, che si usa nel Sacrificio della Messa, ma di più, come io ho esposto nella mia relazione, non già di figura rotonda, ma elittica irregolare, che si estendeva da sotto il ginocchio circa tre dita, sino al malleolo: avendo poi veduta la detta piaga senza tastarla mi accorsi, che dessa era attorniata da bordi callosi, e coverta da carni bavose luride, che non mi fecero accorgere, se vi era scovertura dell' osso, e ciò perchè non solo mi era ributtante a vederla, ma anche perchè mi era stomacosa per il cattivo odore, e per la sanie.*

44. Itaque tradit curæ Chirurgus subjecti conditionem, et longævitatem: morbum definit ulcus, et locum patentis morbi assignat: præterea indicat ulceris antiquitatem, et describit magnitudinem, figuram, callum, carnes luridas, exundantis saniei copiam, ichorem, fætorem. Atqui non ita multa, ut tutum de Miraculo sanationis proferatur judicium exigit Benedictus XIV. (c) dum hæc scribit = *Ad ulcus quod attinet, ejus forma, et subjectum, et causa efficiens debet*

præ

(a) *Animad. cit.* §. 5.
(b) *Sum. sup. I. Mir.* pag. 1. §§. 11 et 12. et §§. 9. et 10.
(c) *Lib.* 4. *part.* 1. *cap.* 17. *num.* 25.

præ oculis haberi; item num fuerit magnum, an parvum; num antiquum an recens; an cum humorum afflaxu; num internum et latens, an externum et patens =. Hæc porro, quæ curæ Chirurgus enumeravit, sunt ulceris Santoriani symptomata, quibus cæteri, qui ægroto assidebant Testes, non alia, nisi vermes, et sanguinem aliquando in ulcere, circum vero vesiculas addiderunt. Omnes igitur ulceris characteres, si cæteri Testes defuissent, ab uno curæ Chirurgo cognovissemus. Quod si ut regerit Animadversio, nullum Chirurgus experimentum fecit, ut veram dignosceret naturam morbi, fortasse ad cognoscendum ulcus faciendum esse experimentum Chirurgus ignoravit.

45. Sed et remediorum inutilitatem, desperatumque ulceris statum haud omisit idem curæ Chirurgus. Subdit enim (*a*) = *Quando il povero uomo si aspettava da me una prescrizione di farmaci per guarirla, gli dissi, che mi era difficile l' impresa della guarigione. Intanto, per non lasciare di prescrivergli cosa alcuna, gli consigliai di far uso di unguento semplice, composto di olio e cera, NON GIA' PER GUARIRE LA PIAGA, PERCHE' SECONDO LE MIE VEDUTE, ERA INCURABILE, ma bensì per calmargli quella irritazione, che tutto di soffriva, e per servire alla piaga come un comune integumento* =. En igitur judicium curæ Medici, quod adhuc ignoravit Animadversio, quodque multi etiam alii Testes, ut modo vidimus, retulerunt.

46. Pòstremo perfectam sanationem testatus est idem curæ Chirurgus (*b*) = *Quando meno me lo attendeva, ho avuto la consolazione di rivederlo dopo otto anni, e quello mi ha sorpreso maggiormente, lo è stato, l'avergli osservato la gamba perfettamente guarita, e nel sito, ove era la deforme ulcere, non esservi rimasto altro segno, che quello della rigenerazione delle nuove carni, e della fresca pelle, che l'aveva intieramente vestita.* =

47. Hinc porro nova exurgit difficultas. Nam uti Animadversio considerat (*c*), cum nonnisi octo ante sanationem annis curæ Medicus vidisse ægrotum dicat „ ergo ejus judicium nihil præ„ stare potest ad ultimum, quem inquirimus, statum morbi. „ De hoc unus est Sanatus, qui effert sanationis instanta„ neitatem, visionem nocturnam addens B. Francisci de Hie„ ronymo = *che gli aveva passato la mano sopra la piaga, „ e gli aveva detto: Gaetano và, cammina* =. Testes reli„ qui fere omnes, non aliam assignant scientiæ causam, ni„ si illam = *Ho inteso dire* = Et qui duo filius, filiaque „ Sanati, dum se dicunt vidisse ulcus, id non de ipso as-

 se-

(*a*) *Sum. pag.* 2. §. 3.
(*b*) *Ibid.* §. 4.
(*c*) *Animad. cit.* §. 5.

„ serunt tempore sanationis, sed vel = *un mese circa pri-*
„ *ma di ottenere la guarigione* =, vel = *quindici giorni*
„ *prima della sanazione* =. Ac ipsos cæterum Testes om-
„ nes haud facile omni dixeris vacuos suspicione, cum et
„ ipsam sanati filiam memoria lapsam videamus, dum inter
„ curæ patris peritos nominat Phisicum *Nicolaum Manigrassi*,
„ qui tamen negat, se vidisse huminem. Et in testibus re-
„ liquis, cum mirabilia loquantur, illud etiam mirum oc-
„ currat, quod Neapolitani cum ipsi sint et rudes, haud
„ Neapolitano utantur dialecto, sed potius sermone Etru-
„ sco, ut in Testibus hisce, natura grandiloquis usurpari
„ illud potius queat = verbis facile ne credas = „ Vide dif-
ficultatem, atque adeo difficultatum congeriem!

48. Igitur Animadversio inquirendum sibi proponit de ultimo morbi statu. Nonne autem superiore nostra in Responsione et Benedicti XIV. auctoritate, et Cl. Zacchiæ doctrina demonstratum est, ultimum morbi statum in ulcere annoso, morbo nimirum chronico, cujusque sanatio sine crisi contigit, non esse inquirendum? Ea igitur, quæ hanc super rem fuerunt a nobis alias disputata, jure hic Animadversioni rursus elidendæ repetita volumus. Neve tamen intelligatur, id a nobis eo fine cuntendi, ut congestas difficultates effugiamus, plura subjungemus, quibus demonstretur, ulceris statum prope miraculosæ sanationis tempus fuisse desperatum eo prorsus modo, ac tempore illo erat, quo curæ Chirurgus Josephus Magiulli illud invisit.

49. Id imprimis argumento inductionis assequi possumus. Nam si Michael Angelus Enriquez = *il quale morì circa trenta anni indietro* (*a*), quique propterea usque ad decimum, ex quo ulcus exortum fuerat, annum curaverat, immedicabile dixerat: si Franciscus Magiulli = *morto da circa quattordici o quindici anni addietro* = (*b*), quique propterea usque ad annum quintum et vicesimum ulceri curam adhibuerat, insanabile judicaverit, uti asserit ægrotus = *mi dicevano, che la morte avrebbe riparato alla piaga* =; si idem judicium de insanabilitate tulerat Josephus Magiulli, qui ulcus, cum ad quartum supra trigesimum annum pervenerat, inspexit: si postea remedia aut tantum palliativa, fuerunt applicata, uti dicta Testium in Informatione collecta (*c*) ostendunt, eaque ipsa erant inutilia, et noxia, uti in superiore Responsione probatum est (*d*) et inferius videbimus, omnia jubent credere, ulcus etiam usque ad quadragesimum annum, quo fuit miraculo sublatum, in eodem insanabilitatis statu perseverasse.

Quid

(*a*) *Sum. pag.* 22. § 171.
(*b*) *Ibid.*
(*c*) *Inform.* §. 20. *pag.* 10. *et* 11.
(*d*) *Resp. ad Nov. Animad.* §. 64. *pag.* 29. *ad* 31.

Digitized by Google

51. Quid autem, quod in hoc ipso probando locupletissimi Testes existant? Ut enim prætereamus ipsum Cajetanum Santoro ita de se ipso deponentem (1) = *Vicino alla sanazione la piaga STAVA PEGGIO DI PRIMA . . . . Fino al momento della sanazione la mia piaga ha avuto IL SOLITO SFOGO* = : ut etiam mittamus Testem V., qui mense ante sanationem ulcus Cajetani Santoro in pessima sua indole perseverans se vidisse testatur (2) = *Posso dire, di AVER VEDUTO mio Padre egualmente ammalato colla piaga un mese circa prima di ottenere la guarigione* = : ut denique negligamus Testem IV., qui licet sit *de auditu*, tamen cum sit *de auditu ab ipso Sanato*, tamquam Testis *de visu* esset habendus (3), eo vel magis, quod cum dicto Sanati concordat, quique ait (4) = *Dall' istesso Gaetano Santoro ho inteso, che la piaga, prima della sanazione era come prima* = Allegabimus Testem XXXII. ex Off. qui paucis ante sanationem diebus pessimæ ulceris symptomata continuasse asseruit = (5) = *Io sempre l' ho incontrato, anche ALCUNI GIORNI PRIMA DELLA SANAZIONE, E L' HO VEDUTO sempre colla gamba gonfia, Zoppo, e malato come prima* = . Huic adjungemus Testem XIII. qui dictum suum coarctans ad duos vel tres dies ante sanationem inquit (6) = *L' ultima volta, che vidi la piaga, LA VIDI TAL QUALE, COME ERA PRIMA, e questo fu DUE, O TRE GIORNI PRIMA DELLA SANAZIONE . . . . L' HO VEDUTA sempre di una maniera FINO A TRE GIORNI PRIMA DELLA SANAZIONE*, His et alii duo cohærent, qui ulcus affirmant deformius se percepisse principio ipsius noctis, qua contigit miraculosa sanatio, et hi sunt Testis IX, qui oculorum sensum adhibuit (7) = *Nel giorno prima della sanazione, o LA SERA PRIMA IO HO VEDUTA LA GAMBA come era prima, e forse anche PIU' BRUTTA* = Et Testis X. qui rem tactu, et olfactu cognovit, detrectatione scilicet linteorum ulceri appositorum, fœtidaque sanie madidorum (8) = *LA*

(1) *Sum. num.* 1. *pag.* 4. §§. 18. *et* 20.
(2) *Ibid. pag.* 9. § 60.
(3) *S. August. lib.* 10 *Confess. cap.* 53. *S. Bonaventura Process.* 7. *Relig. cap.* 18. *Cornelius a Lapide Exod.* 18. *Baldus in Rub. cap.* 51. *ex fals. instrum. num.* 6.
(4) *Sum. num.* 1. *pag.* 7. §. 43.
(5) *Ibid. pag.* 22. §. 114.
(6) *Ibid. pag.* 21 *et* 22. §§. 154. *et* 162.
(7) *Ibid.* 2. *pag.* 13. §. 100.
(8) *Ibid. pag.* 15. §. 124.

LA SERA PRECEDENTE ALLA SANAZIONE, mio Padre mi diede le pezze sporche di marcia, che si aveva levate dalla gamba =.

52. Quapropter haud ita verum est, quod Animadversio prædicat, Testes non asseruisse, se vidisse ulcus tempore sanationis, sed vel = *un mese circa prima* = *quindici giorni prima della sanazione* =, neque aliam assignare causam, nisi illam = ho inteso dire =, cum his contraria omnino acta exhibeant. Neque et illud alterum verum est, Testes non omni vacuos suspicione esse dicendos. Nam quo pacto suspiciosam putabimus fæminam utpote memoria lapsam? Fæminas suapte natura ob humidiorem temperaturam memoriæ imbecillitati esse obnoxias demonstrat Zacchias (1). Ob naturæ defectum suspicionem in fæminam suscitabimus? cum præsertim agatur de morbo, quod annorum quadraginta complectitur intervallum! In tanto autem temporis intervallo, quid mirum, si videamus fæminam in unica circumstantia facti memoria lapsam? Ea vero circumstantia fuit, quod curæ Medicum assignaverit Nicolaum Manigrasso, in qua quidem Testis singularis est: neque enim hujus curæ Medici alius meminit. At in ultimo morbi statu exponendo hæc eadem Testis tot habet Contestes, quot modo allegavimus, eamque ob causam parem cum cæteris sibi fidem conciliat.

53. Quo item pacto cæteros Testes suspiciosos putabimus? An quia non Neapolitano dialecto, sed potius sermone Etrusco utuntur? At considerandum inter Testes adnumeratos esse Doctorem Physicum Josephum Magiulli, quinque præterea Sacerdotes, nempe Aloysium Micera Canonicum, et Dignitatem, Franciscum Micera, Emmanuelem Verga, Vincentium Piergianni Parochum, et Vincentium Annicchiarico, quos dedecebat alium in deponendo sermonem, quam Etruscum adhibere. In cæterorum autem Testium, utpote rudiorum dictis abundant ea verba = *Lenze-chiunmarola foglie di cornola-gli erano usciti alcuni pundelli-sponsava le lenze-spingolone-gambarrone-tuzzatura di jamba con jamba-s' intese scapuzzar le lenze, ne mai mi ha detto, che ha avuto mai un puntillo-frasche pestate-puzzava a sette nanche-scaturiva puragna-lenze, e chiummarole stozze* =; quibus si plura Judices Testium responsionem dictantes addidissent, processus traductorem adhibere debuissemus; quæque si etruscum redolent sermonem, eos, qui isto delectantur, ad nostrum Summarium amandabimus.

54. Quo tandem pacto de nostris Testibus usurpabitur = *Verbis facile ne credas etc.* = Nostrorum dicta Testium non verba sunt,

(1) *Quæst. Med. Legal. lib.* 2. *tit.* 1. *num.* 2.

sunt, sed juratæ depositiones, quibus adimere fidem nefas. Cum ita se res habeant, nostri Testes undequaque idonei sunt existimandi: hujusmodi Testibus omnibus de visu contestibus ultimus ulceris Santoriani status desperatus plenissima probatione concluditur; cuncta ulceris symptomata simul et inutiliter adhibita pharmaca sancte ab iisdem, nullaque contradictione, ac de propria scientia exponuntur: his majorem ad causæ utilitatem, utraque omnem necessitatem accedit testimonium, judiciumque curæ Chirurgi, unde pariter, et morbi symptomata, et desperatum ulceris statum desumimus: hæc ipsa pariter a judicio aliorum curæ Medicorum per Testes de auditu ab iisdem deponentes haurimus. Prostat igitur ea, qua major haberi nequit, probatio morbi, præsertim patentis, quique a Medicis æque ac a non Medicis poterat dignosci, atque ea quidem in ultimo statu.

55. A causa, et qualitate morbi pronum erat ad sanationem descendere: eumque ad miraculi substantiam instantaneitatis, et perfectionis characteres requirantur, aliquid in ipsos erat animadvertendum. Itaque ad exclusionem instantaneitatis affertur id, quod asserit ipse Sanatus = *che il Beato Francesco gli andava facendo la grazia, perchè la gamba gli andava meglio* =, unde concluditur, in sanatione sensim et paulatim peracta gratiam haberi, non miraculum (1). ANIMAD. §. 6.

56. Neque tamen illud = *che il Beato Francesco gli andava facendo la grazia, perchè la gamba gli andava meglio* = ab ipso Sanato acceptum est, sed ab illius filia Teste X. expressum. Scilicet, cum de ultimo morbi statu ageretur, hæc eadem Testis haud facile dicenda fuit omni vacua suspicione, utpote quæ memoria lapsa cognoscerctur. Nunc autem hujus unius dictum tanti habendum, ut omnino in miraculo deleat characterem instantaneitatis.

68. Atqui longe diversa in jurata sua depositione testatus est ipse Sanatus, qui suum ulcus non paulatim ad sanationem vergere, sed in pejus de die in diem abire, et prope sanationem deterius evasisse fassus est, enunceptis verbis (2) *Vicino alla sanazione la piaga STAVA PEGGIO DI PRIMA* =. Huic igitur, utpote de propria scientia deponenti, cui et alii de visu Testes conveniunt, quos in superiore §. 50: modo allegavimus, potius adhærendum, alias advertimus, jura præcipiunt, plurimisque probat Benedictus XIV. (3), et ratio suadet.

Præ-

(1) *Animad.* §. 6.
(2) *Sum. num.* 1. *pag.* 4. §. 18.
(3) *Lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 1. *et* 2.

58. Prætereundum hic porro non arbitror, quod et alias adnotavi (1), Cajetanum Santoro ab omnibus desperatum, ab omnibus quoque desertum spem in B. Francisci de Hieronymo unice collocasse. Itaque ad B. Francisci ventitabat, intercessionem implorabat, sanationem præstolabatur multo jam tempore. Ita enim ipse Sanatus (2) = *Era qualche tempo, che mi raccomandavo al B. Francesco*: Et Sanati filius Horatius = *Andava alla Casa del Beato Francesco de Geronimo a raccomandarsi piangendo molte volte per aver la grazia di esser sanato dalla piaga della sua gamba destra, perchè tutti lo avevano abbandonato* = Et Theresia Gallo = *So, che un anno, prima di sanarsi veniva ogni giorno alla Casa del Beato Francesco, e qualche volta più volte al giorno, colla fede di esser sanato . . . . . Mi disse nel giorno avanti la sanazione: Tanto ho da venire, sino a tanto, che ho da avere la grazia dal Beato Francesco de Geronimo.*

59. Fide tam firma recreatus in absoluta præsertim divini auxilii necessitate, cum fervorem inter orandum, spemque in B. Francisci ope exacueret, crederc potuit sibi melius fore, et dixisse filiæ = *che il Beato Francesco gli andava facendo la grazia* =. Quidquid tamen ipse dixerit, aut filia *de auditu* retulerit, certum tameo in facto est, ulceris simptomata prope sanationem nihil de sua sævitia remisisse, quod modo dictis sanati, aliorumque Contestium ostendimus, et dictis ipsius Cajetani filiæ, quæ objicitur, confirmamus. Nam quæ *de auditu* testata fuerat = *che il B. Francesco gli andava facendo la grazia* = eadem ita *de visu* deposuit: (3) = *La piaga della gamba destra L'HO VEDUTA SEMPRE DI UNA MANIERA . . . . quindici giorni prima della sanazione IO VIDI LA PIAGA COME ERA PRIMA . . . LA SERA PRECEDENTE ALLA SANAZIONE MIO PADRE MI DIEDE LE PEZZE SPORCHE DI MARCIA, CHE SI AVEVA ALLORA LEVATE DALLA GAMBA* =.

60. En igitur, quomodo in ulceris Santoriani sanatione instantaneitatem invicte concludimus. Sanatus Testis II. (4) de tempore ante sanationem deposuit = *Vicino alla sanazione la piaga stava peggio di prima* = Et postea de tempore sanationis subjungit = *dopo di essermi raccomandato al Beato, la mattina mi trovai rotte le lenze, e la piombarola dentro la calzetta, e mi trovai NELLA MATTINA LA PIA-*

GA

(1) *Resp. ad Prim. Animad. pag.* 14. §. 40. *et* 41.
(2) *Sum. sum. l. Mir.* §§. 20. 61. 140. *et* 141.
(3) *Ibid.* §. 120. 121. *et* 124.
(4) [illegible]

GA TUTTA SANATA, ED ASCIUTTA COME UN OSSO, e mi calzai le scarpe, che prima non poteva calzare = ... ERA QUALCHE TEMPO, che mi raccomandava al Beato Francesco, MA IN UNA NOTTE MI FECE LA GRAZIA=.

Raphael Zabatti Testis IX. de utroque tempore hæc simul habet (1) = *Nel giorno prima della sanazione, e LA SERA PRIMA io ho veduto la piaga come era prima, e forse più brutta, e LA MATTINA APPRESSO Gaetano Santoro mi disse che il Beato Francesco di Geronimo mi ha fatto la grazia, mi ha fatto il miracolo, mi ha sanata la gamba, piangeva, e diceva: non me lo meritavo: MI FECE VEDERE LA GAMBA SENZA CALZETTA, E LA VIDI SANATA SENZA PIAGA, SENZA GAMBARONE, ASCIUTTATA, E LA CARNE COLLE SQUAMME=*

Vincentia Santoro Testis X. hæc inquit (2) = *LA SERA PRECEDENTE ALLA SANAZIONE mio Padre mi diede le pezze sporche di marcia, che si aveva allora levata dalla gamba, e la mattina appresso mi chiamò, e mi fece vedere la gamba sanata dicendo: il Beato mi ha fatto la grazia =.*

Raphaela Chisena Testis XIII. (3) cum de tempore ante sanationem dixisset = *L'ultima volta, che viddi la piaga, la vidi tal quale, come era prima, E QUESTA FU DUE O TRE GIORNI PRIMA DELLA SANAZIONE=* de tempore autem sanationis hæc testata est = *NELLA SERA DEL GIORNO, IN CUI FU SANATA VIDI LA GAMBA SANATA SENZA PIAGA, SENZA GAMBARRONE, TUTTA SECCA, COME UNA SQUAMMA DI PESCE, E BALLAVA COLLO STESSO PIEDE, e noi che eravamo presenti, gli dicevamo: Gaetano non senti dolore? e rispondeva: non sento dolore: il Beato mi ha fatto la grazia =.* Hæc etiam confirmant cæteri Testes de sanationis modo deponentes in prævia nostra Informatione collecti (4). Quibus profecto nihil evidentius afferri potest ad evincendam sanationis instantaneitatem, et ad omnem dubitationis nubeculam propulsandam.

61. In sanationis *perfectionem*, ut postremo loco dubium excitaret præclarissimus Censor ad metastasin confugit, eamque probare nixus est dictis Sanati, qui de seipso narravit = *mi sentii* ANIMAD. *cit.* §. 6.

(1) *Ibid.* §§. 100. *et* 101.
(2) *Ibid.* §. 124.
(3) *Ibid.* §§. 154. *et* 155.
(4) *Inform. art.* 3. *pag.* 15. *ad* 8. §. 24.

tii la testa confusa, ed ingombra, quasichè il morbo fosse andato alla testa = rursusque ait, se post sanationem vidisse = *nella gamba una piccola esuberanza come una macchia con crosta* =.

62. De crusta primum, tum de capitis confusione respondebo. Crusta in Cajetani crure post aliquot menses apparuit = PASSATI ALCUNI MESI *trovai nella gamba una piccola esuberanza, come una nocchia con crosta, la quale strapazzata da me, non versò alcun umore, e rimase la gamba polita, e sana, come la è presentemente* =. Ita ipse Sanatus. (1) Porro metastasis non post aliquot menses, sed rapide, sed aliquos post dies evenire consuevit. Nam docet Cl. Zacchias (2), non modo metastasim, sed ipsam morbi recidivam fieri solere post undecim, vel quindecim dies, et numquam ultra mensem: *Reliquiæ prioris morbi cito faciunt recidivam etc. Neque in casibus ab Hippocrate narratis de morb. vulg. recidivam usque ad duodecimum, aut decimumquintum diem protractam reperies: licet permanentibus signis nuper narratis etiam ultra mensem protrahi posse non dubitem, ut plurimum tamen tanto tempore tardare non consuevit.* = Ergo crusta in crure Cajetani Santorii ex eo ipso, quod aliquot post menses apparuerit, non est ad metastasim referenda. Unde ergo crustam repetemus? Si Cl. Peritum a S. Congregatione consultum audiamus (3), ab Sanati decrepitudine; *multa enim senes circumveniunt incommoda*. Sed et aliam causam exhibent Summarii tabulæ, unde discimus, Cajetanum vehementer crus sanatum percutere in sanationis argumentum consuevisse (4). = *Ho veduto, che da se stesso si percuoteva la gamba colla mano, per dar segno da se stesso, che era guarito* = *Io stesso ho veduto, che si batteva la gamba dicendo; non ho niente più, e l'ho veduto camminare liberamente* = *Esso Gaetano batteva la gamba, e ballava* = *Osservai la gamba sgonfia, e che non puzzava, e se la batteva* = Ex hisce percussionibus crustam enasci potuisse, pronum est cognoscere. Non ergo crusta ex metastasi.

63. Sed neque Capitis confusio. Metastasin enim audit permutatio unius morbi in alium, seu verius Metastasis est morbi ab una ad aliam partem translatio, uti apud Jamesium verbo *Metastasis*; = *trasporto, e stabilimento di un qualche umore, o malattia in qualche altra parte diversa da quella, che le serviva di sede*: et paulo inferius = *La metastasi è a parlar*

(1) *Sum. num.* 1. *pag.* 5. §. 27.
(2) *Quæst.* 7. *num.* 17.
(3) *In Vot. pro verit. pag.* 15. §. 55.
(4) *Sum. num.* 1. §§. 48. 76. 145. 197.

lar propriamente un trasporto di un morbo da una parte ad un altra =. Hac posita definitione, quam nominis etymon importat, nam μεταστασις est *translatio*, si humores, qui partes corrodendo latissimum, et infensissimum ulcus in crure aperuerunt, ad cerebrum sese transtulissent, similem parere effectum debuissent, atque adeo morbum eo majorem procreare, quo crure nobilior cerebrum, quod obsederant. Si crus humores vastaverant, nonne cerebrum corrupissent? Saltem dolores gravissimi, vertigines, apoplexia, mors sequi oportebat. Confer modo, sis, effectum = *Mi sentii la testa confusa, ed ingombra.* = Atqui capitis confusio, ne vocari quidem *morbus* meretur. Nam quemadmodum legimus in *Dictionario Compend. scientiar. Medicar. verb. Malattia* = *E' questo vocabolo adoprato per indicare i disordini, gli scompigli delle funzioni, degli organi, e degli umori, come pure di tutto il corpo umano, od' anche del principio, a cui si riferisce il pensiero, non che per ultimo dell' uomo considerato qual essere sensibile* =. Hæc autem omnis minime portendit memorata a sanato capitis confusio, unde nec metastasim audit, quæ est *TRANSLATIO MORBI* ab una ad aliam partem.

63 Hanc capitis confusionem, seu turbationem *levem* quidem *hemicraniam* Cl. Peritus a S. Congregatione consultus nominavit, at statim subjunxit (1) = *Levis autem, et transitoria hemicrania citissime evanescens METASTASIS DICI NON POTEST: neque mirum, hominem decrepitum interdum hemicrania, interdum alio morbo laborare, quin ea ulceri sanato possint referri, multa enim senes circumveniunt incommoda.* Hinc plura exempla, historias fide dignissimas, gravissimasque auctoritates in medium affert (2), quibus probet, ulceribus in senibus sponte aut arte sanatis, *metastasim* supervenire *funestissimam*, non jam *simplicem hemicraniam*, sed phtisin, sanguinis sputum, vertigines, epilepsiam, pleuritidem, apoplexiam, mortem. Gravissimos revera, terribilesque effectus in ulcerum annosorum exiccatione accidere solere universa schola Medica deprædicat.

64 Neque hæc probatissima præcepta, evidentia facta verbulis elidi possunt, quemadmodum facit Animadversio, quæ sic arguit (3) " Peritus nos edocet, quod = *La guarigione istantanea dell' ulcere viene SOVENTE seguita da terribili morbi = se si sanano, o chiudono spontaneamente, o coll' arte, accade PER LO PIU' grave malattia* = Ergo si *sovente*, si *per lo più* metastasis maligna est, aliquando tamen

(1) *In Vot. pro verit. pag.* 15. §. 55.
(2) *Ibid. a* §. 56. *ad* §. 68.
(3) *Animad. cit.* §. 6. *in fin.*

„ men est mitior, licet raro. Ergo poterat natura suis vi-
„ ribus Santorii plagam exiccare, et levem tantum inferre
„ morbum „.

65 Ergone deerant in Cl. Periti Voto, docto mehercule, et laborioso, auctoritates, exempla, rationes, ut hæc aspernaretur, verbulis adhæreret Animadversio? Allegavit quidem Cl. Peritus (1) Ricterii auctoritatem, quæ sic se habet = *La guarigione istantanea delle ulcere inveterate vien sovente susseguita da mali terribili, siccome la tisi, l'apoplesia, e non pochi altri morbi soliti insorgere in seguito alla soppressione delle evacuazioni naturali* = et auctoritatem Bertrandi, qui hæc scripsit = *Le ulcere ne' vecchi sopratutto rese che sono abituali non si possono ordinariamente più far cicatrizzare, o se si seccano, o si chiudono spontaneamente, o coll' arte, ne accade per lo più asma, tisichezza, vertigini, apoplesia, o altra grave malatia, e medesimamente la morte* =. Hi itaque Auctores in eo toti sunt, ut doceant ex ulcerum exiccatione, aut occlusione gravissima mala consequi solere = *MALI TERRIBILI*, inquit Ricterius, *soliti insorgere, in seguito alla soppressione delle evacuazioni naturali* = *Asma, tisichezza, vertigini, apoplesia, altra grave malattia, morte*, inquit Bertrandus. Eadem tradunt cæteri Scriptores, unde Belloste a Cl. Perito citatus (2) ait. = *Ildano, Le dran, Morgagni, Wanswieten, Schmulker, Sckuarshmit, Brambilla, ed altri, attestano di aver osservato LE GRAVI CONSEGUENZE cagionate dalla chiusura di diverse piaghe* = Item historiæ, quas Baglivius, et Morgagnus Italicæ Medicinæ Antistites reliquere, quosque Cl. Peritus memorat, unice probant, ex occlusis in senibus ulceribus homines vivere desiisse. Leves autem morbos, nec raro, nec umquam sequutos nemo unus advertit, nemo unus memoriæ prodidit.

66 Quidquid autem sit de Medicorum auctoritatibus, qui generice morbos, morborumque consectaria describunt, nisi dum exempla proponunt, ex occlusione ulceris Cajetani Santoro, si id per metastasin accidisset, haud potuit tam levis exurgere morbus, qualis a sanato profertur = *mi sentii la testa confusa* =. Nemo siquidem non novit, effectum causæ proportionatum esse oportere. In nostro themate causa fuit hujusmodi, ut morbum induxerit, quod crus omnino pessumdedit. Ergo si eadem causa effectum suum a crure retulisset, ad caput autem compulisset, cerebrum quomodo non affecisset? Quapropter, quin quidquam officiat levissima illa capitis confusio, cujus sanatus meminit, cum Cl. Perito (3) concludendum = SANATIO FUIT, NON METASTASIS =.

67 Nam

(1) *In Vot. pro verit. pag.* 15. §. 57. *et* 58.
(2) *Ibid. pag.* 16. §. 59.
(3) *Ibid. pag.* 17. §. 67.

67 Nam si metastasis fuisset, cum metastasis sit translatio morbi ab una ad aliam partem; cum morbus in crure quadraginta annis perseveraverit: anne idem morbus ad caput translatus triduo tantum ibi mansisset, seu verius dicam, delituisset? Nam inquit sanatus. (1) *PER TRE GIORNI mi sentii la testa confusa.* = Morbum tam obstinatum, tam perseverantem, dum in crure perstabat, quis credat, triduo tantum morari, deinde ilico evanescere, saniem fætidissimam, copiosissimamque in innocuam lympham repente converti debuisse, simul ac ad cerebrum fuit delatus? Morbus quicumque ubi demum insederit, suos prodit effectus. Morbi prius tam sævi, tam desperati effectus quis sequuta metastasi in levissima, et transitoria capitis confusione reponat? Quis ob eam capitis turbationem ulceris morbum a pede ad caput perlatum fateatur? Atque hic fortasse quæres: unde ergo se habuit illa capitis confusio? In promptu causa est, ex immodicis nimirum saltationibus. Nam cum Cajetanus quadraginta annis vix se movere potuisset, subito sequuta sanatione uti adolescentulus exultabat, prout passim a testibus narratum audivimus. Tam repentinam, tamque ingentem status mutationem parere potuisse capitis confusionem quid prohibet credere? Sed et ratio addenda alia, quia fortasse, sanatione sequuta, majorem eleemosinarum copiam nancisci potuit (hoc enim præcipue curant homines ulcerati et egeni): hinc majus aliquid comedit ac bibit: atque hinc magis, quam a metastasi, repetenda capitis confusio.

68 Tandem metastasi in ulceris Santoriani sanatione admissa, ulcus potuisset dumtaxat exiccari. At in casu nostro non exiccatio humorum tantum contigit, sed et callositates destructæ, carnes, quæ superescreverant, exesæ, novæ regeneratæ, cutis superinducta, id autem una nocte factum, ut postridie Cajetanus in sanationis argumentum, sanatum crus manu percuteret, exiliret, libereque ambularet, prout supra §. 61. cognovimus. Quapropter quin metastasim somniemus, cum Teste X concludendum (2) = *Dopo la sanazione, la gamba si è diseccata come un legno, e quello è il miracolo; dopo la sanazione, la gamba è stata sempre bene, e mò seguita a star bene, perchè è miracolo, non è andato il male ad altra parte del corpo, perchè è miracolo ..... stà meglio di prima: prima dicevano, che se Gaetano Santoro si guariva la piaga, era morto, e mò dicono, che Gaetano Santoro si è guarito con la grazia del Beato Francesco, e stà meglio di prima. E quello è il miracolo, perchè se nò non sarebbe miracolo.*

 69. Cum

(1) *Sum. num.* 1. *pag.* 5. §. 27.
(2) *Ibid. pag.* 16. §. 126. *et* 136.

ANIMAD. §. 7.

69 Cum rem omnem jam confecisse existimabam, sentio duo adhuc reliqua esse diluenda. Etenim cum Cl. Peritus in suo Voto nonnulla facile objicienda sibi excitaverit, ut ea refelleret, alterum ex his mutuatus R. P. Animadversor in sententia Cl. Periti scripsit, *ulcus in extrema ætate, qualis illa Santorii erat, emortua cute, emori pariter necesse esse* (1).

70 Itaque sapientissimi Periti responsionem, et mihi licebit mutuari, quæ sic se habet (2). " Ea profecto ad artis ostentationem, vel potius ad ingenia tantum exacuenda licet objicere. Si id ex emortua cute factum esset, non immediate, et repente, sed lente, et gradatim per quemdam *atrophiæ* modum una cum cæterorum organorum vita ulcus recessisset. Præterea decrepitudo poterat ulcus *exiccare* non *implere*, neque putres carnes, et excrescentes ilico exedere, neque novas regenerare. Itaque hic agitur non de morte, sed DE VITA IN ORGANO MORTUO MIRIFICE RESTITUTA ".

71 Verum hæc responsio parum videtur Animadversioni arridere, quæ cum videat, remedia ulceri ad ultimum usque adhibita, subdit (3) *quid necesse est ad supernaturale opus confugere, ubi ex remediis adhibitis causa se offert naturalis sanationis?* Quod verum esset, si ejusmodi fuissent pharmaca adhibita, ut eorum efficaciæ tribui sanatio potuerit. Itaque pharmacorum qualitas est ad trutinam revocanda.

72 *L' ho veduto* (Ita Testis IX. Summ. pag. 13. §. 97 et seqq.) *medicare colla polvere di mortella, che metteva sopra la piaga, è la cuopriva con una chiummarola ..... la polvere di mortella, che si metteva sopra la piaga .....: la piombarola, che si metteva sopra la polvere di mortella* = Hæc Animadversio, hisque similia, unde apparet myrtham, plumbeamque laminam fuisse pharmaca curationi ulceris Santoriani adhibita.

73 Atqui primo ad opponendum male utitur Teste IX., quem non vacuum suspicione arbitratur. Pharmacorum igitur applicationem ab ipso ægroto Cajetano (quandoquidem nullum adhibebat ministrum) scire satius videbitur. Etenim testatur (4). = *Vicino alla sanazione la piaga stava peggio di prima, ne io ci adoprava alcun rimedio, oltre della piombarola = sulla piaga non ci metteva, che la sola piombarola, e sopra questa le pezze: sulle vescichelle poi le foglie di cicoria di Giardino* =. Itaque herbæ, et pulveres ad medicamentum appliciti cum non ulceri, sed vesiculis ulcus obsidentibus apponeretur, vesiculas non ulcus sanare valebant.

74-

(1) *Animad.* §. 7.
(2) *In Vot. pro verit. pag.* 21. §. 80.
(3) *Ibid. fin.*
(4) *Sum. num.* 1. *pag.* 5. §. 18. *et* 24.

74 Quid autem si et ipsis vesiculis sanandis erant impares, immo et noxiæ? = *Il popolo usa frequentemente di cuoprir le piaghe colle foglie di varie erbe, le quali però in generale trattengono la materia, e fanno nascere più puzza di prima. E che quelle foglie infatti non facciano gran bene, può ricavarsi eziandio dal vedere quelle schifose, e maltrattate gambe de poveri, essere frequentemente state medicate coll' erbe* = Ita Cl. Monteggia (1), unde eruimus herbarum applicationem idcirco ulceribus obesse, quia saniem retinent. Sed præcipue myrthi, et cichorrii pulveres ulceribus infensos probamus, quia vim adstringentem possident, eoque pacto callum in ulceribus inducunt, unde annosa efficiuntur. Nam Jamesius duas distinguens myrthi species scribit (2). *Elleno sono tutte diseccanti, ed astringenti* = Idem legimus in opere, cui titulus = Vocabolario compendiato delle scienze Mediche = (3) *Le sue foglie sono assai astringenti* = Idem confirmat Cl. ipse Peritus (4), qui hæc habet = „ Quod demum de *myrthi* virtute escharotica supponitur, experientiæ equidem, „ et auctoritati repugnat. Nam ut ait Cl. Murray = *Venustæ* „ *frondis, et flore magis hodie placet, quam efficacia medica, quæ non valdopere eminet* =. At si qua ei virtus inest, „ *adstringens* certe est, non *escharotica*, adeoque callis in „ ulcere gignendis idonea „. Callum autem perpetua ulcera efficere supra §. 32. demonstratum est. Hæc de myrthi pulvere.

75. Plumbeæ deinde lamellæ applicationem noxiam pariter, vel inutilem idem Cl. Peritus evincit (5), etenim immediate subjungit „ Idem de palumbi laminis in statu metallico dicendum est. Huic quidem metallo vel oxidato, vel salificato „ quædam actio pariter constrictiva in ulceribus (semper autem pericolosa, et venefica) tribuitur, at in statu metallico neque absorbetur, neque dissolvitur, adeoque ejus actio „ pro nulla habenda est „. Neque dicat Animadversio (6) *plumbeam Santorii lamellam vel oxidatam, vel salificatam facile percipere.* Quis enim illud protulit? Certe Testes continuo appellant = chiummarola = piombarola = ergo laminam in statu metallico. Neque suspicetur, plumbum in statu metallico ideo potuisse absorberi, quia *laminam quotidie commutare Santorius pro sua non poterat paupertate.* Quis enim tan-

(1) *Istituz. Chirurg. tom.* 1. *part.* 2. *cap.* 19. 2. 848.
(2) *Verb. Myrthus pag.* 387.
(3) *Verb. Vaccino = Mirtillo pag.* 163.
(4) *In Vot. pro verit. pag.* 18. §. 70.
(5) *Ibid.*
(6) *Animad. cit.* §. 7. *fin.*

tantum devoraret absurdum? Et si absorberi potuisset, obesse tamen, non prodesse oportuit ulceri Santoriano vis venefica plumbi, quam Cl. Peritus asseruit, quamque item confirmamus ex Opere, cui titulus = Dizionario compendiato delle scienze Mediche = ubi hæc prostrant verba = Piombo = *Lo si rinviene nello stato nativo combinato al cromo, ed all'arsenico, ma specialmente nella condizione di ossido, di sulfuro ec. . . . . : Pochi metalli, eccettuato il ferro, sono adoprati maggiormente del piombo, per isciagura NIUNO RIESCE MAGGIORMENTE MICIDIALE. In onta di questo lo si usò, e si adopra anche di sovente spesso in Medicina, tanto nell'interno, che all'esterno.* =

76. Hæc postquam a Medicinæ penu hausimus, ad factum confugiamus. Ipse curæ Chirurgus Josephus Magiulli remediorum inutilitatem perspiciens, nonnisi palliativa præcepit (1) = *Quando il pover'Uomo si aspettava da me una prescrizione di farmaci per guarirla, gli dissi, che mi era difficile l'impresa della guarigione. Intanto, per non lasciarlo senza prescrivergli alcuna cosa, gli consigliai di far uso di un unguento semplice, composto di olio e cera, non già per guarire la piaga, che secondo le mie vedute, era incurabile, ma bensì per calmargli quella irritazione, che tutto dì soffriva, e per servire alla piaga, come di un comune integumento.* Idem Sanatus testatus est, se nullum a pharmacis levamen, sed potius malum expertum = (2) *I medicamenti mi facevano piuttosto male, che bene* = Et ipse Testis IX. (3) deposuit = *La polvere della mortella, che si metteva sopra la piaga, era per inzuppare il morbo, che usciva dalla piaga, non già per guarire, perchè se si chiudeva la piaga Gaetano sarebbe morto* = Quibus duo adhuc cohærent (4) nempe Testis XIII. = *Non sò, che ci abbia usati altri rimedj, fuorchè le frasche pistate, per rinfrescarsi, ma con queste frasche la piaga restava sempre l'istessa* = Et Testis XXXI. ex Off. = *Avendo sperimentato tutti quei mezzi, che i Professori han saputo suggerirgli, niuno ne ha sperimentato efficace per la guarigione.*

77. Ulcus certe Santorianum a corruptis humoribus ducebat exordium, ejusque causa interius tota latebat, uti Cl. Peritus judicavit (5). Sola igitur, quæ Santorius adhibuit externa medicamenta, quid tandem profuissent? Interna hujusmodi ulceri sanando erant necessaria, quibus corrigerentur humores. Id

(1) *Sum. num.* 1. *pag.* 2. §. 2. *et* 3.
(2) *Ibid. pag.* 4. §. 16.
(3) *Ibid. pag.* 13. §. 98.
(4) *Ibid.* 152. 164.
(5) *In Vot. pro verit. pag.* 5. §. 16.

Id Cl. Peritus affirmat, scribens (1) = *Ulcera inveterata numquam absque remediorum internorum ope sanantur, quæ humores, si possibile est, quasi ex integro renovent; nam habitus morbosus a toto corpore contractus, tanti ponderis, ac molis est, ut ulcere suppresso morbus alius vehemens, mortalis, vel ipsa mors superveniat* =. Idem prius docuerat Cl. Heisterus (2) = *Abstinentia, solertissimaquè victus ratio istiusmodi hominibus imperanda est, ne scilicet, aut nimios, aut noxios etiam cibos, quales quidem acres, duriores, crudi, atque suilli sunt, temere ingerant. Tum sæpius adhibenda sunt blanda, atque idonea purgantia, quo nimirum nimii, et maligni humores a pedibus abstrahantur, paulatimque per sedes ejiciantur. Denique assumenda etiam pro re nata hic sunt medicamenta quædam opportuna, causæque contrariæ interna* =. Idem quoque Cl. Monteggia asseruerat (3): = *Il processo di risarcire, o sia rifare la sostanza, e l' integumento mancante delle ulcere, è tutto opera delle forze intrinseche naturali, e principali del processo nutritivo ec. L'arte non ha, che un attività indiretta* =. In remediorum igitur necessitate internorum quid minus sanationi accomodatum, quam externorum applicatio, quæcumque demum virtus iisdem tribuatur?

78. Et hæc leviora sunt. Graviora illa, quod correctis deinde humoribus, callositates sanationi obtinendæ erant extirpandæ, propter summam ulceris vastitatem, longitudinem, profunditatem plurima caro erat regeneranda; cutis in tota cruris interna facie inducenda. Iis omnibus adstringens tam myrthi, quam plumbi efficacia, uti probat Peritus, erat impedimento: unde ea pharmaca aut inepta ulceri sanando, aut etiam noxia, quacumque ex parte considerentur, ilico deprehenduntur.

79. Quapropter non ad naturalem remediorum virtutem, sed ad supernaturale opus in ulceris Cajetani Santoro sanatione est confugiendum. Ita siquidem præcipit Benedictus XIV., cujus hæc sunt verba (4) = *Pro regulæ explicatione, vel etiam limitatione statuendum erit, sanationem esse miraculo, et non viribus medicamentorum adscribendam, si constat, medicamenta adhibita non fuisse apta, sed aut nocua, aut inutilia.*

80. Attamen in ulceris Santoriani sanatione modus sedulo est considerandus. Ulcus annis quadraginta annis patuerat: ab interno cruris malleolo ad genu sese protenderat: ad suppositum os tibiæ pervenerat: remediis perpetuo restiterat. Una autem nocte totum sanatum est: oppletum carne: cute indutum, uti tradit ipse

(1) *Ibid. pag.* 3. §. 10.
(2) *Instit. Chir. part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 4.
(3) *Istituz. Chir. tom.* 2. *part.* 1. *cap.* 19. *n.* 836.
(4) *Lib.* 4. *part.* 1. *cap.* 8. *num.* 8.

Digitized by Google

se sanatus (1) sequenti modo = *Postomi a letto a dormire la sera dopo di aver secondo il solito pregato il Beato Francesco nella sua Casa, allo svegliarmi della mattina, trovai rotte le lenze, e la piombarola anche rotta dentro la calzetta, che io metteva per cuoprire la gamba, e custodirla dormendo, e la piaga perfettamente guarita, che mostrai a tutti, annunziando il miracolo, attribuendolo al Beato Francesco, che io aveva spesso pregato, e tutti attribuirono questa sanazione ottenuta all' intercessione del sudetto Beato. NELLA SERA PRECEDENTE ALLA SANAZIONE, LA PIAGA ERA COME PRIMA, E LA MATTINA LA TROVAI GUARITA nel modo, come ho detto di sopra. Non trovai alcun umore; insieme alla piaga guarirono anche le vescichelle della gamba, e comparve la carne, e la pelle liscia, onde tutti gridarono: la grazia si è ottenuta ad intercessione del Beato Francesco* = idemque tradunt alii Testes, quos supra in §. 59. allegavimus.

81. Explicet modo Animadversio, quomodo vel myrthi, vel plumbi applicatio id efficere una nocte potuerit, quando annis quadraginta idem præstare nequiverat. Explicet quomodo vel natura, vel externa pharmaca huic sanationi procreandæ decrepitam expectaverint sanandi ætatem, quando et vires erant ferme omnes amissæ, et organa quasi emortua, et non potius virentibus annis eumdem sanationis effectum exhibuerint. Explicet quomodo myrthi pulvis ulceri applicatus eadem nocte, qua ulcus sanavit, ulceris fascias, integumenta, ipsamque plumbi laminam abruperit.

82. Hæc omnia si naturali explicari nequeunt ratione: si his addamus nocturnam, cujus ipsa meminit Animadversio (2), Beati Francisci de Hieromo visionem = *che gli aveva passato la mano sopra, e gli aveva detto = Gaetano và, cammina* =: ex his omnibus necessum est universi cognoscant, in ulceris Santoriani sanatione evidentissimum patere Miraculum.

MI-

(1) *Sum. num.* 1. *pag.* 5. §. 24. 25. *et* 26.
(2) *Animad.* §. 5.

Digitized by Google

MIRACULUM II.

Instantaneæ perfectæque sanationis ab inveterata, et invincibili cruris dexteri Anchilosi ossea post diuturnum ulcus a combustione productum cum ossium carie in epileptica muliere Maria Josepha Greco.

83 Cum ad conciliandam Testium personis dictisque fidem in Responsione ad I. Miraculum satis multa verba facta fuisse videantur, jam characteribus Anchilosis, quæ II. Miraculum constituit, elucidandis incumbere oportet. Hinc Anchilosin *inveteratam*, *invincibilem*; sanationem vero *instantaneam*, *perfectam* Animadversiones dilucendo protuemur.

84 Nonnullis in medium allatis Testium auctoritatibus conatur Animadversio probare (1), exiguo ante sanationem tempore Anchilosim cæpisse exordium. Nam cum ipsa Sanata Josepha Greco fateatur (2), duobus ante sanationem mensibus cariati ossis partem sibi in tibia fuisse a Chirurgo exsectam; cumque tam Magdalena Masella Testis XV. (3) deposuerit = *Coll' andar del tempo, circa un anno dopo, durando sempre la piaga della gamba destra, la stessa gamba destra si arrunghiò . . . . . Ho detto, che il Chirurgo le levò quella parte di osso, e dopo questa operazione, la gamba destra RIMASE ATTRATTA COME PRIMA* =: quam etiam Cira Vincentia Radicchio Testis XXVII. (4) dixerit = *Dopo questa cura, essendosi ritirati i nervi, viddi la gamba destra arronghiata dalla parte di dietro* =: ex hisce duabus Testibus (nam nec in objecto §. 60. et seq. neque in proc. fol. 458. terg. aliquid simile legitur) *certum in facto esse* clamat, non a combustione anchilosim coepisse, sed post ossis cariati extractionem fuisse exortam. *ANIMAD. §. 8.*

85 Sed quam male se hisce Testibus Animadversio defendat, exinde licet cognoscere, quod non apprime inter se conveniunt, cum Testis XXVII., se post ossis cariati sectionem Anchilosim apparuisse dicat: = *dopo questa cura, essendosi ritirati i nervi, vidi la gamba destra arronghiata* = Testis autem XV. post eam sectionem Anchilosim perseverasse affirmet: *dopo questa operazione, la gamba destra rimase attratta COME PRIMA* =. Adde quod ipsa Testis XXVII. in suo sensu decepta deprehendatur, quod putet ex ossis ca-

E ria-

(1) *Animad.* §. 8.
(2) *Summ. num.* 2. *pag.* 26. §. 19.
(3) *Summ. num.* 2. *pag.* 30. §§. 50. *et* 51.
(4) *Ibid. pag.* 45. §. 175.

riati extractione actractos fuisse nervos. At ossis cariati extractionem nervorum contractioni nullam potuisse præbere occasionem nemo non percipit, testaturque ipse curæ Chirurgus (1) inquiens = *questa disquamazione non poteva accorciare la gamba destra più della sinistra* = . Unde ista nervorum actractio sit repetenda, inferius patebit. Interim in hoc sententiarum conflictu ab aliis magis informatis Testibus Anchilosis discere opus exordium.

86 Probatissima certe Testis ipsa aegrota Josepha Greco, quæ sic ait (2) = *QUESTA SCOTTATURA, e questa piaga MI AVEVANO ATTRATTO I NERVI DELLA GAMBA DESTRA, e non la poteva più poggiare in terra, anzi era tanto piegata alla parte di dietro, che il calcagno toccava quasi la coscia . . . . QUANDO nella gamba destra MI RIMASE LA PIAGA, la gamba restò SEMPRE attratta . . . . o con l'osso, o senza l'osso la gamba restava sempre attratta . . . . Io mi trovavo nello stato, come ho detto, d'infermità stessa d'attrazione, e piaga nella gamba destra, ed anche con piaga della grandezza di un vessigante nella gamba sinistra, quando mio Marito Salvatore Gasparro, al sentire i Miracoli, che faceva il B. Francesco di Geronimo, al quale Io non aveva mai pensato di raccomandarmi sino a questo punto, mi esortò a portarmi nella Casa del medesimo Beato.*

87 Probatissimus certe Testis ipse Josephæ Maritus Salvator Gasparro, cujus hæc sunt verba = *LA BRUCIATURA DEL FUOCO LE AVEVA ATTRATTO IL NERVO SOTTO AL GINOCCHIO, e si vedeva esteriormente il nervo attorcigliato, e duro, come il legno, avendolo io toccato più volte. Per questo nervo così patito la gamba si era arrunghiata.* =

88 Si igitur Testium dictis judicanda res est, Anchilosim a combustione cruris duxisse initium, in facto exploratissimum esse oportet. Magis enim jura, et ratio præcipiunt hisce Testibus esse concedendum, qui apprime inter se conveniunt, quam illis, qui haud ita recte inter se cohærere supra ostendimus. Magis profecto, quam cæteris, credendum ipsi ægrotæ, qui de facto suo proprio deponit. Magis ægrotæ Marito deferendum, qui rem non modo oculis perspexit, sed etiam manibus sæpius exploravit. Quibus cum et illud accedat, quod hi Testes phisicam sui dicti afferant rationem, nervorum scilicet contractionem sub ipsa ignis combustione ortam, oculis manibusque cognitam, quis hisce Testibus fidem detrectaverit?

89 Ve-

(1) *Summ. num.* 2. *pag.* 38. §. 113.
(2) *Ibid. pag.* 25. §§. 10. 21. 24. *et* 26.
(3) *Summ. num.* 2. *pag.* 34. §. 75.

89 Verum aliis dicta Testium nituntur argumentis. Nam ne universum hic jam secundo vel tertio eudamus Summarium, facto compertum est, multas musculorum, tendinumque partes fuisse sub ipsa ignis combustione destructas, alias etiam fuisse deinde, utpote ustulatas, ab ægrotæ assidentibus, et ab ipso curæ Chirurgo ferro abscissas, quemadmodum prævia in Informatione (1) docuimus. Ut autem cognoscamus quæ cruris pars, quique musculi fuerint abscisi, et consumpti, præstabit audire Curæ Chirurgum Nicolaum Manigrasso, ita deponentem (2) = *Esaminata l'estensione della scottatura, dichiarossi di terzo, ed ultimo grado, che principiava da sotto la patella, e scendendo per due terzi anteriormente nella gamba in stato di piaga, vergendo più nella parte interna, e per la Sura, ascendendo quindi per la parte interna della coscia corrispondente, oltrepassando il poplite per circa otto dita attraverso di mano di lunghezza, di larghezza poi circa quattro, arrestandosi al terzo inferiore della coscia medesima* = : Et Peritos ab Judicibus Apostolicis ex officio vocatos ita testantes (3) *Richiesti per osservare la gamba, abbiamo trovato in essa una vasta cicatrice, che ha principio immediatamente dall' attacco del muscolo tricipite, calando in giù per davanti il ginocchio, investendo la gamba sino al terzo inferiore . . . . Finalmente abbiamo avvertito, che il muscolo flessore interno è distrutto in parte nei suoi attacchi tendiosi* = .

90 At eo ipso, quo musculi triceps, et flexor cruris igne consumpti sunt, debuit necessario enasci Anchilosis, et cruris immobilitas. Nam, ut ait Clarissimus Peritus consultus (4) = *Vix motrix in musculis est, non in ossibus: adeoque ubi eorum compositio immutatur, aut cum ossibus communicatio aufertur, EORUM ACTIO NULLA EST* = Et addunt Periti ab Apostolicis Judicibus electi (5) = *Siamo di parere, che LA PROFONDA SCOTTATURA, come apparisce dalla sudetta cicatrice riportata nel mentovato arto, AVENDO DISTRUTTO porzione di fibre MUSCLARI E TENDINOSE del flessore, HA MENATO L' ISTESSO ARTO AD UN ACCORCIAMENTO, E RETRAZZIONE.*

91 Hanc porro Anchilosis causam ipsæ objectæ Testes confirmant. Cum enim ex illarum dictis eruatur, fuisse a curæ Chirurgo factam ossis cariati amputationem, patet, prius præcessisse musculorum, tendinum, nervorum, atque ipsius ossis

 com-

(1) *Inform. pag.* 25. *ad* 30. §§. 45. *et* 46. *et pag.* 36. §. 55.
(2) *Summ. num.* 2. §. 102. *et* 103.
(3) *Ibid.* §. 195. *pag.* 48. *et* 49.
(4) *Summ. num.* 2. *pag.* 49. § 196.
(5) *Ibid. pag.* 25. §. 10.

combustionem. Ergo tam vetus Anchilosis, quam vetus combustio musculorum, tendinumque destructio, nervorumque attractio.

92 Atqui hæc omnia aut sub finem mensis Januarii, aut principio Februarii anno 1829. accidere debuerunt, perdurarunt autem usque ad medium mensem Majum insequentis anni 1830., quo quidem temporis intervallo sexdecim menses effluxerunt. Etenim si primo ægrotationis mense Magdalena Masella Josepham Greco curavit, sicuti fatetur (1) = *Seguitai così (coll' ungento di bianco d'ova, ed olio) a curarla per due o tre giorni, e poi per circa un mese l' ho medicata colle foglie di cicoria etc.* idque confirmant Testes XIX. XX. XXI. XXIV. XXVII. XXVIII. (2) : Si post mensem Chirurgus Manigrasso, et præcise die 1. Martii 1829. ejusdem ægrotæ curationem suscepit, prout ipse ait (3) = *La mia assistenza ebbe principio il giorno primo Marzo* 1829. = patet sub finem mensis Januarii 1829. Anchilosim suum cæpisse exordium, in quo et convenit Animadversio, quæ sub §. 14. ita fatetur = *morbus accidit ineunte Februario* 1829. = : Item si die 16. Maii 1830. Josepha Greco ædes B Francisci contendit, ubi subito nacta est sanationem, quemadmodum asserunt Testis XV. (4) = *La sanazione accadde nel modo detto di sopra o ai quindi, o ai sedici Maggio* 1830. = Testis XX curæ Chirurgus (5) = Essendo dal quindici al sedici Maggio sparita l' epilesia, e l' accorciamento della gamba destra = Et Testis XVIII. (6) *La vidi nel giorno sedici Maggio dell' anno passato* 1830. *all' ora di Vespro, mentre andava alla Casa del B. Francesco appoggiata etc.* = manifestum est, sexdecim circiter menses Anchilosim perdurasse. Hoc vero temporis intervallum inducere nostro in subjecto inveterationis characterem, nemo non novit, in primis nostris Responsionibus est demonstratum (7) et deinde ab Exmo Perito Fakirorum exemplo, auctoritatibus Flajani, Pott, Revaton, Vonder-wiel, nec non validissimis medicis rationibus (8) confirmatum.

93 Ut autem falcem ad radicem apponamus ad eumdem Exmum Peritum a S. Congregatione consultum confugimus. Namque cum facto constet, Josepham Greco epilepsis impetu actam fuis-

(1) *Summ. num.* 2. *pag.* 29. §. 41.
(2) *Ibid.* §§. 144. *et* 171. *et Proc. fol.* 230. 258. 275. *terg.* 299. *et* 354.
(3) *Ibid.* §. 101.
(4) *Ibid.* §. 62.
(5) *Ibid.* §. 117.
(6) *Ibid.* §. 95.
(7) *Prim. Resp. pag.* 59. §. 149. *ad* 152.
(8) *In Vot. pro verit. pag.* 29. §. 108. *et pag.* 32. §. 115.

fuisse in ignem, cum facili negotio intelligatur phlogosim sub ignis actione in ustulato poplite dextero debuisse produci, cum demum exploratum sit, latissimum ulcus ab igne, qui musculos voravit, fuissse apertum, Cl. Peritus totus est, ut probet, Anchilosim, quæ *inflammationi* immediate, et directe succedit, et *ulceri* supervenit, VERAM esse, OSSEAM, et PERFECTAM: idque evidentissime demonstrat, non solum patologicis argumentis (1) sed etiam auctoritatibus Cll. Monteggiæ, Mekel, Blacardii, Dictionarii Enciclopedici, Morgagni, Hunteri, Reziae, Testæ, Cruiskankii, Pratolongo, Moore, ac demum ineluctabilibus exemplis (2). Ergo sub ipsa iguis actione Anchilosis ossea, ac perfecta orta est, quæ cum necessario durare usque dum miraculo tolleretnr, quod sexdecim post menses fuit patratum, debuerit, ex hoc ipso præsetulit characterem *inveterationis*.

94 Hæc ex ipsis rerum adjunctis, atque ex Medicæ Scholæ principiis, et rationibus hausta, non verbulis minus convenientibus imperitorum Testium, sed validioribns argumentis, sed certioribus Medicurum principiis fuerant elidenda. Nam etiamsi duæ imperitæ fæminæ tardius Anchilosis principium senserint, aut tardius ortam arbitratu suo judicaverint, ecquis minus his deferendum, quam rationibus, quam facto, quam auctoritatibus Periti a Congregatioue Consulti, aliorum ex officio a Judicibus rogatorum, et curæ Medici, quam ipsius ægrotæ, ejusque Mariti testimoniis non habeat animo persuasum? Itaque tenendum est, a die combustionis Anchilusim erupisse, ad sex et decem circiter menses continuasse, coque pacto sanationis tempore fuisse inveteratam.

95. Neque explorata minus res est de ea, quam asserimus, *invincibilitate*. Et quoniam tam prævia nostra Informatio (3), quam Responsiones, præsertim ad Novas Animadversiones (4), quam etiam Cl. Periti judicium (5) hunc Anchilosis characterem directis probationibus evincunt; hinc illum modo Animadversionum refutatione confirmabimus. Duo autem Animadversionum genera hic experimur, alterum a judicio curæ Chirurgi, alterum a contraditionibus inter Peritum nostramque defensionem petitum. *ANIMAD. §. 9.*

96. Ad curæ Chirurgum quod spectat, arguit Animadversio (6), ipsum judicasse cruris actractionem facile vinci potuisse = *qualora la gamba si fosse tenuta in estensione* =. Nonne lude-

(1) In *Vot. pro verit. pag.* 24. 26. *et* 27. §§. 89. 97. *et* 98.
(2) *Ibid. pag.* 27. 27. §. 96. 98.
(3) *Inform. a* §. 54. *ad* §. 62.
(4) *Resp. ad Nov. Animad. a* §. 120. *ad* 136.
(5) *In Vot. pro verit. passim per tot.*
(6) *Animad.* §. 9.

dere videtur curæ Chirurgus, dum talia fatur? Nam si cruris extensio actractionem vincere potuisset, quare crus non extendit? quare saltem non imperavit? quare non aliquando tentavit? Ego sic existimo: curæ Chirurgum eadem vidisse, quæ Cl. Peritus a S. Congregatione Consultus, osseam in poplitis articulo concretionem vincere esse impossibile. Ossea siquidem concretione semel stabilita, facilius os rumpes, quam solves concretionem. Quæcumque tamen hæc mea sit opinio, cujus ratio inferius apparebit, judicium tamen curæ Chirurgi illud fuit, Anchilosim eo ipso invincibilem evasisse, quod crus continuo retractum ægrota tenuerit: sic enim ait (a) = *Per l'accorciamento della gamba; il mio giudizio si fù, che qualora la gamba si fosse tenuta in estensione, non ne sarebbe nato accorciamento, e comechè la gamba fu tenuta in diversa posizione, ne accadde l'accorciamento, quale da se naturalmente non si poteva guarire.*

97. Evidentem huius rei probationem offert sinoviæ, quæ in diuturna articuli quiete usu solet venire, inspissatio, et concretio. Huic immobilitatis diuturnitati tantum Cl. Peritus attribuit, ut hæc scribat (b) = *Hæc tantummodo causa valet anchilosim simplicem et falsam in complicatam et veram commutare* =. Et exemplo in medium allato Fakirorum, qui irridenda prorsus superstitione per plures interdum menses et annos immobiles manent, concludit, Anchilosim voluntariam verti in habitualem, et organicam. Hinc etiam Cl. Zaccla (c) *Omnes articulares morbi, qui et longi omnes ex sua natura, et curatu sunt difficillimi* = Hinc etiam Monteggia (d) = *Il ritiramento de' muscoli succede per l'irritazione propagata ai medesimi per la malatia articolare, ond' essi sien posti in stato di permanente contrazzione, ovvero anche semplicemente per essere rimasti lungo tempo immobili nella stessa attitudine. In questi casi per lo più il membro rimane anchilosato in stato di flessione* = Hinc Auctores Dictionarii = *delle scienze Mediche* = *La completa immobilità degli arti determina tanta molestia, ed asprezza nelle articolazioni, che SE SI PROLUNGA DIVERREBBERO VERE ANCHILOSI* =. Hinc veram, organicam, osseamque Anchilosim ex ipso curæ Chirurgi judicio, atque ex metodo curationis, quam adhibuit, haud immerito deducimus.

ANIMAD. cit. §. 9. 98. At enim constans in suo sensu, et judicio fuit curæ Chirurgus, ut sicuti morbi arduitatem tempore infirmitatis, ita et mi-

(a) *Sum. num.* 2. *pag.* 38. *et* 39. §. 116.
(b) *In Vot. pro verit. pag.* 29. §. 106. *et pag.* 32. §. 115.
(c) *Cons.* 5. *p.* 8.
(d) *Instit. Chirurg. tom.* 2. *part.* 1. *cap.* 28. §. 802.

Digitized by Google

miraculi subjectum post sequutam sanationem aperte denegaverit dicens = *che non era stata sanazione miracolosa* (*a*).

99. Adeone argumentorum inopia Animadversio laborat, ut ad objiciendum nihil certum ac probatum afferre possit? Nam verba illa = *che non era stata sanazione miracolosa del Beato Francesco* = numquam in sua depositione protulit curæ Chirurgus, sed allegavit Vincentius Farina Testis XXVI. ille nimirum, quem Animadversio ob Paschalis præcepti violationem traducebat suspiciosum. Neque tamen hic idem Testis illa verba a curæ Chirurgo audivit prolata, sed tamquam ab aliis accepta deposuit, prout videre est in Summario Objecionali (*b*) = Don Nicola Manigrasso, come ho sentito da al„ tri Testimonj disse in quella mattina, che fummo chiama„ ti al giuramento, che egli aveva curata Maria Giuseppa „ Greco, e che non era stata sanazione miracolosa del Bea„ to Francesco „. Judiciale est adagium: *dictum de dicto nihil probat*. Neque magis valent cætera testimonia, quæ in Animadversione indicantur, propterea quod non aliunde, quam a vulgari rumore sint expressa. Hujusmodi est testimonium ipsius Josephæ Greco *Sum. pag.* 28. § 37. = ibi = Do„ po la sanazione hanno detto, che è stato il Beato Fran„ cesco, ed io tengo per certo, che è stato il Beato, e sic„ come D. Nicola Manigrasso Chirurgo quasi voleva preten„ dere DI AVERLA GUARITO ESSO, la popolazione si „ è rivoltata contro esso, dicendo, che non è stato esso, ma „ è stato il Beato „: et testimonium Magdalenæ Masellæ „ *Sum. pag.* 31. §. 61. = ibi = Tutti quanti hanno detto, „ che è stato un Miracolo, ed anche il Medico D. Pasqua„ le Maggiulli, ed il Chirurgo D. Giuseppe Maggiulli, me„ no che D. Nicola Manigrasso, che diceva, CHE L'AVE„ VA CURATA EGLI, per cui fu criticato da tutto il pae„ se PER LA RAGIONE, CHE PRIMA DELLA SANA„ ZIONE QUALCHE VOLTA ERA ANDATO A VISI„ TARLA, E QUASI A SPINTE „.

100. Quo in loco sedulo est advertendum curæ Chirurgum ne potuisse quidem morbum Josephæ postremo tempore sanare eo ipso, quod nonnisi raro, nonnisi coactus ægrum inviseret. Atque id ipse Chirurgus confirmat inquiens: „ Siccome sif„ fatta malatia divenne lunga, e tediosa non solo per l'in„ felice Greco, ma eziandio per me Professore assistente, „ cosi L'ABBANDONAI raccomandando solo la lavanda di „ camomilla, e filo asciutto, mentre tutt'altro era frustraneo „ per l'epilessia, per altro mai tralasciai di visitarla DI TEM-PO

(*a*) *Verb. Anchilosi pag.* 122.
(*b*) *Animad. cit.* §. 9.

„ PO IN TEMPO (a) = Quapropter quod alias monebat Animadversio : *Verbis facile ne credas* : aptet huic loco.

101. Cæterum a vulgo prædicata cum talia audiamus, certius judicii fundamentum est inquirendum. Vult Animadversio certum curæ Chirurgii judicii fundamentum? Adeat *Summarium et pag.* 39. §. 117. leget ejusdem testimonium tenoris sequentis = *Essendo dal quindici al sedici Maggio sparita l'epilessia, e l'accorciamento nella gamba destra, questa cosa fu da noi in famiglia attribuita a grazia particolare del B. Francesco di Girolamo* =. Hæc sunt, quæ dixisse curæ Chirurgum ex actis apparet, non autem illa = *che non era stata sanazione miracolosa* =. His quæ certiora sunt, si Animadversio adhæsisset, illud aliud, curæ nempe Chirurgum sicuti morbi arduitatem tempore infirmitatis, ita et miraculi subjectum post sequutam sanationem aperte denegasse, numquam pronunciasset. Nam Miraculi subjectum non denegasse, ex dictis patet, quia miraculum confessus est: infirmitatis autem tempore non denegasse morbi arduitatem exinde evincitur, quod insanabilitatem asseruit. Etenim sub ipso curationis initio morbum desperavit, sicut ipse testatur *Sum. pag.* 38. §. 114. = ibi = *In principio, come ho detto, trovando il male di Maria Giuseppa Greco di quella natura, che ho descritto, le raccomandai i Sagramenti della Confessione, e e del Viatico*, E GIUDICAI IL MALE INCURABILE, *posto che* DURAVA L'EPILESSIA = quæ nunquam cessavit. Quapropter non habet Animadversio locum, ubi tuta consistat.

102. Neque subjungat curæ Chirurgum ex aliorum magis, quam sua sententia gratiam agnovisse (b) per illa verba = *questa cosa fu da noi in famiglia attribuita a grazia particolare del Beato Francesco de Geronimo* =. Mihi potius videtur, et suam, et aliorum sententiam prodidisse Chirurgum = *da NOI in famiglia* =. Videtur etiam, re cum aliis communicata, maturiore examine prolatum fuisse judicium, cognitamque gratiam, seu Miraculum. Id sane suadet ratio, quæ ipsum maturavit, impulitque judicium pro miraculo, sanationis nimirum instantaneitas = *essendo dal quindici al sedici Maggio sparita l'epilessia, e l'accorcimento della gamba destra* =

103. Hoc autem curæ Chirurgi judicium dum ita defendo, obsequor Animadversioni. Nam quid? Neque *bardum*, neque *oscitantem* in morbi curatione Chirurgum esse agnoscendum vult Animadversio, et in judicio sanationis, quæ nec opinato, et in morbo, quem curationis initio desperaverat, conti-

(a) *Sum. Object. pag.* 2. *Test. XXVI. post primas Animadversiones.*

(b) *Animad. cit.* §. 9.

tigit, quasi uxoris sententiæ indigentem traducit? Quid minus dignum homine neque bardo, neque oscitante? At ego certe neque bardum dicam, neque oscitantem, etsi hujusmodi jure dicere possem, propterea quod alias demonstraverim (a), totam curationis methodum epilepsiæ, ulceribusque medendis, et disquamationi ossis procurandæ fuisse ab eo directam, non autem vincendæ Anchilosi, prout debuerat, si vincibilem agnovisset. Mihi tamen ille videtur in ferendo testimonio aliquantum astutus, ac philosophus. Astutus certe curæ Chirurgus, qui in exponendis morbi symptomatibus, in quibus Contestes de visu noverat se habiturum, nihil animadversione dignum deposuit: in sanatione autem dijudicanda talia testatus est, quæ locum Animadversioni relinquerent. Philosophum arguo ex dictis Exmi Paschalis Maggiulli Testis XIX., qui hæc habet *proc. fol.* 260 = ibi = *Il solo Dottor Manigrasso è contrario a questa sanazione, PERCHE' HA GUASTA LA TESTA, supponendo, che tal grazia faccia disonore alla sua arte* =. Ipse certe Manigrasso de se ipso testatus est *proc. fol.* 264. = ibi = *In questo anno non ho ancora sodisfatto al precetto Pasquale per alcune mie riflessioni* =. O excellentem excusationem! Philosophi ingenium decebat de præceptis Ecclesiæ nonnulla sibi sumere consideranda. De his usque ad hunc diem conticui, quemadmodum alias spopondi (b); diutius etiam conticuissem, nisi illi adeo adhærentem conspexissem Animadversionem, ut propterea, et probatissimos alios Testes, et Periti votum, et facta ipsa, et Medicas rationes pro nihilo haberet.

104. Quandoquidem vero hujus, seu philosophi, seu = *testa guasta* = ait Animadversio difficile admodum esse non subscribere sententiæ, eidem pariter obsequutus neque ipse id renuam. Subscribam vero ejusdem sententiæ non ex inanibus voculis expiscatæ, aut ab astuta philosophia dimananti, sed veræ, sed propriæ, sed symptomatibus morbi accomodatæ.

105. Præter ea, quæ supra disputavi, duo tantum, ne infinitus sim, in medium afferam: Curæ Chirurgus Josepham Greco dicit (c) *soggetta quasi giornalmente agl' insulti epilettici*, additque, *strofinandasi colla sinistra alla destra gamba, si rinnovava costantemente la piaga.* Cl. autem Peritus cum Richerandio sentit, hanc per se irritationem potuisse Anchilosim determinare (d) = *Irritatio tantum*, inquit, *potest anchilosim deter-*

 mi-

(a) *Resp. ad Prim. Animad. pag.* 42. *et* 43. §. 110.
(b) *Resp. ad Prim. Animad. pag.* 41. §. 107.
(c) *Sum. num.* 2. *pag.* 37. §. 106.
(d) *In vot. pro verit. pag.* 29. §. 106.

minare: hæc sinoviæ secretionem vel supprimit, vel auget. Superficies arefactæ adhæsiones contrahunt, quales inter pleuram pulmonalem, et costalem producuntur.

106. Curæ Chirurgus addit, inter cruris, et coxæ musculos epidermidemque ortam fuisse cicatricem, unde deducit Anchilosim (1). Et Cl. Peritus ex ea fibrarum confusione, adhæsione, promiscuitate concludit (2) *confirmatam penitus et conclamatam fuisse articuli immobilitatem.*

107. Duo hæc cum nosse debuerit curæ chirurgus neque bardus, neque oscitans; cum alia perspicere oportuerit, quorum supra meminimus, quæque idem paucis complexus est verbis, dum dixit (3) = *A riguardo, tanto della cicatrice, quanto dell' offesa ricevuta nella muscolatura, e del modo, come l'inferma, stando in letto lungo tempo, teneva la gamba, questa rimase alquanto attratta* =, non potuit nisi ex intimo animi sensu pro miraculo pronunciare, cum præsertim et cognita sanationis instantaneitate, et sacramenti religione devinctus tulerit judicium. Huic igitur sententiæ, quam prolata a curæ Chirurgo morbi symptomata necessariam demonstrant, subscribere non dubitamus.

108. Cum hæc ita se habeant, jam cætera omittenda sunt, quæ ultimo loco habet Animadversio (4), quod scilicet credibile non sit, quod curæ Chirurgus *numquam adverterit ossa incoaluisse, ac musculos destructos, quemadmodum sentit Peritus pro veritate consultus, non de visu loquens, et tactu proprio, sicut et curæ Chirurgus, sed solis innixus depositionibus mulierculorum, et Mariti Testium imperitissimorum.* Quamvis enim osseam curæ Chirurgus numquam dixerit Anchilosim, tamen ex morbi symptomatibus ab illo relatis potuisse invincibilem deprehendi, unde ex animi persuasione miraculosam existimaverit sanationem, hactenus ostendimus. Musculos porro destructos certo certius advertit, nam sæpe memoravit = *offesa ricevuta nella musculatura* = *piaga* = *disquamazione dell' osso* =. Peritos pro veritate consultos quis unquam audivit ex iis esse oportere, qui ægrotis assident, unde de visu, et tactu proprio loquantur? Fidem tamen semper et fecerunt, et esse habendam affirmat Benedictus XIV. Testes super Miraculis de visu nostra decreta requirunt, et quia per verba facti, non per verba juris deponere debent, et explicare circumstantias facti, ex quo jus resultat, et ex quo probari possit miraculum, ideo in nostris causis, ut alias demonstravimus (5), etiam rudiores idonei cognoscuntur.

109.

(1) *Sum. num.* 2. *pag.* 38. §. 111.
(1) *In Vot. pro verit. pag.* 30. §. 110.
(3) *Sum. num.* 2. *pag.* 38. §. 111.
(4) *Animad. cit.* §. 9. *fin.*
(5) *Resp. ad Nov. Animad. pag.* 23. §. 54.

Digitized by Google

109. Quæstiones de curæ Chirurgi judicio tali ratione prætergressi, alias circa votum Cl. Periti a S. Congregatione consulti cogimur instituere. Nam pugnæ, ac dissentiones inter Peritum, nostramque defensionem objiciuntur (1). Quo in loco subito licebit sciscitari, utrum prædicatæ istæ pugnæ ac dissentiones Patronum inter et Peritum Summarium deleant, factum evertant? Nam ex facto judicandum de Miraculo. At inquies, defensione, et voto dilucidanda sunt facta, non obscuranda. Ne quis tenebrarum locus existat, ad prætensas dissensiones accedamus. *ANIMAD.* §. 10.

110. Neque imprimis abs re fuerit cum S. Thoma, cum S. Joanne Chrisostomo, cum Benedicto XIV. considerare, quod alias adnotavimus (2), discordias et pugnas non verborum, sed rerum, non apparentes, sed substantiales debere præjudicare, neque dissentionem proprie esse vocandam, cum quis id advertit, quod alius non viderit.

111. Verborum porro dissentio est, quæ primum ita objicitur (3). „ Distingnit Peritus veram inter, et falsam Anchilosim, „ et causæ Patronus hanc distinctionem irrisit dicens = *codeste denominazioni debbonsi bandire dal linguaggio Chirurgico* „. Nimirum Cl. Peritus ita distinxit, ut probaret Anchilosim esse *veram*: Patronus autem non dixit *veram*, vocavit autem *invincibilem*. Itaque eamdem rei substantiam, diversis licet verbis uterque asserebant. Absit tamen suspicari, Periti dicta, et judicia voluisse irridere Patronum, qui multo ante scribebat, quam Peritus eligeretur. Ita siquidem se res habet.

112. In primis Animadversionibus objiciebatur doctrina Cl. Monteggia Anchilosim in perfectam, atque imperfectam distinguentis. Patronus autem, qui hunc characterem in titulo Miraculi minime adnotandum putaverat in sensu auctorum Dictionarii compendiati Scientiarum Medicarum ita reponebat „ Hanc „ nos distinctionem nihil propterea morati sumus, quod in „ præcitato Vocabulario prius legeramus, quæ hic adnectimus „ = *Sotto il nome di Anchilosi completa descrissero gli Autori quella, in cui non può farsi alcun movimento: e dissero poi incompleta l'altra, per la quale vengono cotesti „ movimenti più o meno limitati. Questa limitazione è perfettamente inutile all'atto pratico, importando assai meno „ a sapere sino a qual punto sono impediti i movimenti, di „ quello che conoscere la natura, e la sede degli ostacoli opponentisi alla loro esecuzione: certa anchilosi sebbene completa, può guarirsi, mentre sarà al di sopra del potere dell'*

 „ *ar-*

(1) *Animad.* §. 10.
(2) *Resp. ad Nov. Animad. pag.* 14. §. 33.
(3) *Animad. cit.* §. 10.

„ *arte cert'altra, i di cui moti sono appena alterati. Si disse*
„ *pure anche vera la prima, falsa la seconda, ma codeste deno-*
„ *minazioni deggionsi bandire dal linguaggio Chirurgico*„Hanc ubi Patronus celeberrimorum Auctorum doctrinam habuit perspectam, tutius duxit Anchilosim *invincibilem*, quam *veram*, *completam*, *perfectam* appellare. Quia vero si memoratæ distinctiones sunt *inutili all'atto pratico*, possunt tamen prodesse theoretico: quia Cl. Peritus in suo Voto pro veritate his adhæsit, Patronus non dubitavit illius subscribere non solum sententiæ, sed etiam verbis. En quo abiit prima dissentio.

113. Sequitur altera, quæ his verbis concipitur „ Rursus Patronus
„ ipse probavit ex Testibus causam Anchilosis ex tendinis læ-
„ sione, et hanc dicit invincibilem. Peritus e contra putat, eam
„ ortam esse *ex ossium vitio*, et priorem illam dicit motu vin-
„ ci posse „. Igitur Peritus novum aliquid advertit, quod nondum Patronus viderat. Neque id mirum esse debet. Nam Periti a S. Congregatione ad scribendum pro veritate electi sunt ex celebrioribus, et ex iis, qui Medicam aut Chirurgicam artem publice aut docent, aut profitentur. Quapropter semper ii aliquid ex Medicinæ penu exprimunt ac produnt, quod ex penu forensi fortasse non deduceretur. Id quamvis in omnibus causis semper usuvenerit, numquam tamen ad pugnam, ac dissensionem Peritum inter ac Patronum fuit relatum.

114. Sed Peritus in Anchilosi Josephæ Greco *ossium vitium* detexit. Idem vero Anchilosis causam a tendinis læsione ductam numquam exclusit, sed admisit §. 88. *pag.* 23., ubi hæc habet „ Tertia demum Anchylosis causa *proxima* est crassities, asperitas, rigiditas, durities, adhæsio in membranis, ligamentis, vasis, cartillaginibus, TENDINIBUS.,

115 Rursus Peritus §. 115. asseruit *motu vinci posse* Anchilosim, non quæ a tendinis læsione causam habet, sed quæ a musculorum jactura producitur, uti patet ipsius judicium pro veritate legenti *a* §. 109. *ad ult.* Patronus autem Anchilosim a tendinis læsione ortam idcirco invincibilem pronunciaverat, quia legerat in Hippocratis aphorismo 19. *sect.* 6. = *Si dissectum fuerit os, vel cartillago, vel nervus, neque augetur, neque coalescit* =: et in Heinsteri Institutionibus Chirurgicis *part.* 1. *cap.* 1. *lib.* 1. *num.* 10. *et* 11. *Periculosum quoque vulnus est, ubi nervus aliquis nonnisi ex parte fuerit incisus: quidquid enim in fibrillis læsum est, retrahitur .... Si quis forte tendo læsus aut præcisus est, tum pars illa, ad quam is pertinet, MOBILITATEM SUAM AMITTIT* = Et in Benedicti XIV. *Lib.* 4. *part.* 1. *cap.* 2. *num.* 12. *Profecto aut juxtæ solas naturæ vires, aut juxta Medicam artem sanabiles saltem in instanti dici, et haberi non possunt claudicationes, quæ proveniunt EX TENDINIBUS VEL NERVIS RUPTIS, juxta illud Hippocratis aphoris.* 19. *sect.* 6. *etc.*

116.

116. Succedit tertia in causis morbi dissentio. Quæ tamen hic objiciuntur, sunt ejusmodi, ut iis extricandis, totius Summarii, totius Periti judicii, ambarum Responsionum nova impressio necessaria videatur. Universis tamen ea, qua potis erit, brevitate occurram.

117. Erroneæ feruntur causæ, ex quibus Mariæ Anchilosim jam deducere studebamus. Quid ita? Quia cum quatuor Anchilosis causas enumeraverim, dicor, iis rejectis, ad Periti potius detulisse sistema, qui in suo judicio Anchilosim ponit in ossium vitio (1)

118. Siqui memini, siquid video, quatuor illas causas neque ego, neque Peritus rejecimus. Non ego: nam non solum in Informatione, primisque Responsionibus, sed multo magis in alteris (2) illas tenui causas. Cl. etiam Peritus in sui judicii §. 106. easdem causas admittit: immo in illa causa, quam ex musculorum deficientia repetimus, vehementius insistit a §. 109. ad ultimum. Hinc expositis morbi causis universis, sic ipse in superioris Responsionis §. 134. concludebam = *Ita in proposito Miraculi subjecto omnia Anchilosum genera, quæ CL. PERITUS ENUMERAVIT, quæque sunt* ossea, muscularis, ligamentosa, *nulla excepta, inveniuntur.* =

119. At detuli Periti sistemati, qui in suo judicio Anchilosim ponit *in ossium vitio*. Quidni? Postquam enim Peritus in toto suo judicio super II. Miraculum adlaboraverat, ut inesse demonstraret ossium vitium, hoc est, ut Anchilosim osseam probaret: postquam id præstiterat ea ratione, quod Anchilosis inflammationi immediate, et directe successerit, et ulceri supervenerit, idque plurimis, gravissimisque auctoritatibus, medicisque rationibus invictissimis confirmaverat *a* §. 93. *ad tot.* 98. postquam anchilosim osseam, veram, perfectam esse invincibilem, et incurabilem gravissimis item auctoritatibus Hippocratis, Celsi, Galeni, Zacchiæ, Lovisii, Richerandii, Tortusæ, Monteggiæ, Fabritii ab Aquipendio, et Dictionarii Encyclopedici strenue defenderat *a* §. 99. *ad tot.* 104., postquam rationem reddiderat, quomodo anchilosis etsi latens ossea, et insanabilis internosceretur §. 105., postquam alias etiam insanabilitatis conditiones addiderat, ex quotidiana ulceris irritatione ob epilæpticos motus, ex cicatrice, ex immobilitatis diuturnitate, ex organica etiam poplitis ad anchiloses opportunitate deductas §§. 106. *et* 107., postquam tandem ostenderat, ingentem, quæ facta fuerat, quamque describit, musculorum devastationem ipsam per se anchilosim efficere potuisse, falsam scilicet, at non ideo sanandam *a* §. 109. *ad* §. 117. postquam ego ipse tot hæc, tamque momentosa per-

cc-

(1) *Animad. cit.* §. 10. *fin. et* §. 11. *princ.*
(2) *Resp. ad Nov. Animad. per. tot. præsertim. a* §. 107. *ad* 135.

ceperam, bardus certe dictus essem, nisi illius sistemati detulissem.

120. Interim tot hæc, tamque gravia, quæ Miraculum constituunt, argumenta vera sunt, an falsa? valida, an futilia? ingenio ficta, aut e Summarii tabulis desumpta? Hoc opus erat Animadversionis. Quæ omnia, dum neque negat, neque labefactare directe contendit, eo ipso, et anchilosim insanabilem, et sanationem prodigiosam confitetur.

121. Hisce ita elucidatis, cætera nunc, quæ sequuntur, faciliore negotio enodantur. Ac primo quidem quod dicat Animadversio (1) Anchilosim nonnisi longo post combustionem tempore exortam, id quidem nova non indiget refutatione, cum sub ipso igne natam Anchilosim hactenus indigitaverimus.

ANIMAD. cit. §. 10.

122. Quod deinde dicat, a Peritis edoceri, quod = *il muscolo flessore interno è distrutto in parte nè suoi attacchi tendinosi, ma intanto esegue liberamente i suoi movimenti* = posteriora hæc verba omnem adimunt difficultatem, quæ priora illa excitare valuissent. Nam ex Benenedicto XIV. (2) = *Ad perfectam sanationem sufficit, ut corpus reponatur IN STATU TALI, ut possit obire suas actiones, quas operari poterat, antequam incideret in morbum* =. Si ergo = *esegue liberamente i suoi movimenti* = perfecta sanatio.

123. Quod tertio Animadversio moneat, se in prioribus Animadversionibus §§. 27. et 28. probasse, cicatricem pharmacis emolliri potuisse, et cruris flexionem haud fuisse habitualem, ad hoc reponam: 1°. me quoque in Primis Responsionibus invictissime a §. 191. *ad tot.* §. 195. demonstrasse, flexionem fuisse ejusmodi, ut ne epilepticis quidem convulsionibus potuerit dimoveri, quod nunc evidentius confirmatur ex Cl. Periti sistemate, qui ossificationem in Anchilosi probavit. Reponam 2°. me pariter in primis Responsionibus §. 195. ostendisse, post musculorum laceratione fortissimam effici cicatricem, atque insuper in Informatione super II Miraculo *pag.* 45. §. 72. hanc exposuisse auctoritatem (3) = *L'erosione, e l'abbruciamento della parte esterna produce certa cicatrice bianca superficiale, unita, la quale RESISTE A TUTTI I MEZZI TENTATI PER TOGLIERLA* =. Unde Anchilosis invincibilitas certo certius eruitur ex iis causis, quas supra memoravimus, quasque iterum nunc Animadversio erroneas perperam existimat ex probatis sub §. 119.

124. Quod tandem Animadversio contendat, Anchilosim clare et certo non erui ex vitio ossium contracto a combustione, semel ac ipse Peritus tradit, *posse* ignem inferre Anchilosim os-

(1) *Animad. cit.* §. 10.
(2) *Lib. 4. part. 1. cap. 8. num. 22.*
(3) *Vocab. Comp. delle Scienze Mediche Verb. Cicatrice pag.* 295.

osseam, non autem necessarium esse consectarium, ad hæc respodere, aut hiscere audebo? Unice R. P. Animadversorem rogabo, ut maturiore examine relegat ipsius Cl. Periti judicium super Miraculo II. si potis sit mentem mutare. Hic solum recitabo ipsius Periti verba, qualia §. 93. leguntur „ *Anchylosis* Mariæ Josephæ Greco erat VERA, OSSEA, PERFECTA, hinc humanitus desperata, atque incurabilis. Ad „ id demonstrandum simplicissimo, simulque evidentissimo „ utar argumento. *Anchylosis* Mariæ orta est a phlogosi: „ atqui Anchylosis ex phlogosi est semper OSSEA et PERFECTA, Ergo fuit insanabilis. „ Videtur non dixisse Peritus *esse potest*, verum EST SEMPER.

125. Denique de sententia curæ Chirurgi Manigrasso non est, cur hic plura dicantur.

126. Cum hæc ita sint, quid tandem concludemus? Scilicet hoc unum, Anchilosis invincibilitatem, de qua hactenus disputavimus, nihil magis confirmare, quam Animadversionum inopiam.

127. Jam vero ad sanationis modum est veniendum. Hunc præstabit ab ipsa sanata cognoscere, quæ sic ait (1) „ A stento, „ e come potei fui portata alla Casa del Beato. Arrivata poi „ alla Casa del Beato, mi sentiva maltrattata, e addolorata. „ Mi fu data, non sò da chi, una Sedia per riposarmi, e „ poco poteva stare sù di essa, impedita dalla gamba attratta. Poco dopo, principiando a raccomandarmi al Beato, „ alzai gli occhi alla di lui Statua.... In questo momento „ mi accorsi, che poteva tener la gamba, prima attratta, „ stesa bene, ed appoggiata a terra, e volgendomi a mio „ Marito gli dissi, che potevamo andare. Mi alzai da me „ sola dalla Sedia, presi le stampelle più perchè me le dava„ no, mentre Io non le voleva. Dopo pochi passi ho lascia„ to la prima stampella, dandola a mio Marito, e dicendo: „ una mi basta, e dopo pochi altri passi, ho lasciato anche „ la seconda, e camminai libera, e sola.

128. Ipsa per se historia sanationis *instantaneitatem*, ac *perfectionem* nonne indigitat? Eo magis, quod hujusmodi sanationi tot morbi invincibilitates, quot supra §. 119: cum Perito exposuimus, erant impedimento. Instantaneitas exinde cernitur, quod sanata prius crus protensum senserit, quam protendere se posse cognosceret. Perfectio exinde arguitur, quod quæ pluribus hominibus, et fulcimentis substentata vix ædes B. Francisci contendere potuerat, postquam paululum ibi se Ei commendaverat, libera, sola per se, nullo auxilio domum repetens graderetur. Est hæc vera Miraculi perfectio. Nam si, ut ait Benedictus XIV. (2) = *Sufficit ad veram miraculi ra-*

(1) *Sum. num.* 2. *pag.* 27. §. 27. *et* 28.
(2) *Lib.* 4. *part.* 1. *cap.* 8. *num.* 23.

rationem, quod malum præcipuum, et graviora simptomata illico excesserint = cum præcipuum malum in claudicatione ob anchilosim, graviora vero simptomata in musculi flexoris absumptione, tendinis læsione, sinoviæ inspissatione, cicatrice, et ossium vitio consisterent, cumque libera ambulatio hæc omnia illico excessisse ostendat, omnis in facto ratio miraculi se prodit.

129 Neque tamen satis est. Nam si, ut addit idem Summus Pontifex (1) = *Ad perfectam sanationem sufficit, quod corpus reponatur in statu tali, ut possit obire suas actiones, quas operari poterat, antequam incideret in morbum* =, ex hoc etiam capite se dat clara in luce sanationis anchilosis perfectio intuenda: Nam si Testes audiamus, Josepha Greco = *dopo la sanazione ha acquistato forza, e fa tutto = dopo la sanazione ha fatto tutto = Dopo sanata, non avendo più sofferto il male della luna ha fatto tutte quelle cose, che non poteva far prima. Dopo sanata ha camminato sempre bene, se non che in principio aveva un poco di timore = Prima della sanazione non potea faticare, adesso credo, che possa faticare, perchè la vedo andare avanti, e dietro = Prima di sanare faceva leggiera fatica, dopo sanata fatica meglio di prima* Ita Testes XVII. XVIII. XXI. XXIII., et XXIV. (2).

130 Perfectione sanationis, et instantaneitate jure et facto sic probata, quæ contra objiciuntur, oportet diluamus. Hæc enim, ut pro munere suo labefactet atque infirmet Animadversio, utitur verbis nonnullorum Testium, quæ ita se habent = *La gamba se la sentiva rendere a poco a poco = lasciò la seconda stampella, ma stava un poco inchinata dalla parte della gamba ammalata = col piede appoggiato in terra, e zoppicava* = : utitur etiam auctoritate ipsius sanatæ, quæ post assertam sanationem ad B. Franciscum clamavit = *o guariscimi del tutto. o fammi morire.*

ANIMAD. §. 12.

131 Ad sanationis ab anchilosi ossea perfectionem infirmandam non sufficit aliquantula corporis inclinatio, aut aliquantula claudicatio. Nam etsi aliquantulum inclinata et claudicans ambulabat, quia tamen ambulabat, ergo id præstabat, quod prius præstare non poterat, ergo crus ad terram protenderat, quod prius coxæ conjunctum gerebat; ergo ab infirmo poplite ossificatio, et cicatrix evanuerant, musculi, nervi, tendinesque fuerant restitui; ergo præcipuum malum, et graviora simptomata excesserant, ergo omne illud factum fuerat, quod ad perfectam sanitatem, quod ad veram miraculi rationem nostris legibus requiritur, quin dictis Testium quidquam adimatur.

132.

(1) *Ibid. num.* 22.
(2) *Sum. num.* 2. §§. 92. 99. 130. 140. 152.

132 Dicta nunc Testium singillatim examinemus. Porro præmittendum tribus morbis Josepham Greco extitisse obnoxiam: *epilepsi* nimirum, cujus impetu in ignem dejecta, ignis musculos vastavit, unde latissimum *ulcus* patuit, atque hinc in poplite dextero *Anchilosis*. Hoc certum in facto est: parique ratione est exploratum, Josepham Greco fuisse per Miraculum ab Anchilosi sanatam, ulcere et epilepsi adhuc remanentibus. His præmissis, ut ad Testes accedamus, Testis XXVII. deposuit = *che la gamba destra se la sentiva arrendere a poco a poco, in modo che poteva appoggiare il piede TUTTO A TERRA, ma che si manteneva pel dolore delle piaghe* =. Pronum est intelligere, dolorem excitari debuisse ab ulcere, in poplite præsertim existente, quod et ob ipsum motum, et ob muliebrium vestium pressionem, et confricationem exacerbari oportebat. Ipse Testis huic superstiti ulceri dolorem appingit = *pel dolore delle piaghe* = quemadmodum sanationem anchilosis perfectam testatur, quia = POTEVA POGGIARE IL PIEDE TUTTO A TERRA. =

133 Cetera Testium dicta, sunt ita pariter intelligenda; atque ad hanc ulceris post sanationem Anchilosis perseverantiam referenda est claudicatio illa levissima, et corporis inclinatio, quam ab aliis testatam accepimus, prout innuunt ipsa verba = *un poco inclinata dalla parte della gamba malata.* = Sed ratio addenda est alia, Anchilosis nimirum ad sex et decem menses continuatio, perque id temporis ad ambulandam desuetudo, unde aliqua in membro gressum de novo repetente titillatio. Hinc igitur, et ab ulcere superstite levissimæ claudicationis causa est repetenda.

134 Porro est aliud, quod consideratione dignum videatur. Nam uti patet, legenti Summarium objectionale *num.* 4. post primas Animadversiones positum, ex quo præfata Testium dicta deducuntur, omnes objecti Testes dicta sua coarctant ad illum præcise diem, et horam, qua Josepha Greco sanata ab ædibus B. Francisci redux domum repetebat. Quamvis igitur eo die, quo die malum præcipuum, gravioraque simptomata ilico dempta sunt, aliquod morbi vestigium, quod nulli ali superstiti malo posset ac deberet attribui, non ita subito excesserit, id tamen sanationis instantaneitati minime officeret. Cum enim duplex distinguatur instantaneitas, *mathematica*, et *moralis*, hanc, non illam ad Miraculi substantiam requiri, aperte docet Benedictus XIV. (1) conceptis verbis: *Nos autem credimus MORALEM INSTANTANEITATEM in sanationibus, quæ Miraculo tribuuntur, sufficere*. Quapropter cum in morbo præcipuo, gravioribusque simptomatibus mathematicam teneamus sanationis instantaneitatem, in con-

(1) *Lib.* 4. *part.* 1. *cap.* 8. *num.* 17.

sectariis (quæ supponi tantum possunt, nam consectaria illa claudicationis superstites morbi excipiunt) *morali* contenta esse deberet Animadversio.

135 Ulterius etiam procedendum. Nam Sapientissimus idem rerum nostrarum Moderator Benedictus XIV. tres cum S. Thoma, et Abulensi Miraculorum gradus distinguit (1) primum, *quando ipsum, quod fit Miraculum est ita, quod natura nullo modo potest illud facere, nec in illo subjecto, nec in alio*: secundum, *respectu subjecti, in quo fit res*: tertium *ex parte modi vel ordinis*: et deinde affirmat (2) *instantaneitatem non esse necessariam in Miraculis PRIMI ET SECUNDI GENERIS, sed omnino esse necessariam in Miraculis TERTII GENERIS*.

136 Jam vero proposita Anchilosis sanatio ad primum, aut saltem ad secundum pertinet gradum, eamque ob causam instantaneitas neque mathematica, neque moralis est omnino requirenda. Nam propter phlogosin, et ulcus, unde ortum habuit, Anchilosis fuit *ossea, vera, perfecta*, quod invictissimè cum Cl. Perito probatum est, proindeque hujusmodi, ut esset natura, et arte prorsus, sive in nostro, sive in alio quocumque subjecto *insanabilis*; cum præsertim plures aliæ accesserint insanabilitatis rationes, quas alias exposuimus. Igitur Anchilosis erat ex illis, ad cujus sanationem naturæ vires in nullo subjecto poterant extendi, in quo propterea modus et instantaneitas incassum investigatur. Nam vel contingit in instanti sanatio, prout factum nostro in casu novimus, et tunc celeberrimum erit primi generis Miraculum, vel non subito accidit, et Miraculum nihilo tamen secius erit in classe secundi generis reponendum. *Si enim*, docet sæpe laudatus Pontifex (3) *claudicatio sit ex illis, ad quorum sanationem vires naturæ non extenduntur, CELEBERRIMUM* (hoc est primi generis) *ERIT MIRACULUM, si sanatio SUBITO CONTINGAT: sed erit etiam Miraculum, QUAMVIS SUBITO NON ACCIDAT, in classe SECUNDI GENERIS reponendum*.

137 Quapropter hæc est summa conclusionis nostræ. Aut propositæ Anchilosis sanatio in instanti accidit, aut non. Si illud concedas, quod et in nostra Informatione (4) et in Responsionibus ad primas (5), atque ad Novas Animadversiones (6) probatum est, et modo confirmatum, cum sanatio sit

(1) *Ibid. cap. 1. num. 7.*
(2) *Ibid. cap. 8. num. 15.*
(3) *Ibid. cap. 11. num. 12.*
(4) *Inform. pag. 45. §. 72.*
(5) *Resp. ad prim. Animad. pag. 79. et seq. cap. 4. per tot.*
(6) *Resp. ad Nov. Animad. pag. 54. §. 125.*

sit ex illis, ad quarum sanationem naturæ vires nullo in subjecto extenduntur, est Miraculum primi generis. Si alterum fatearis, est Miraculum secundi generis. In neutro autem casu, instantaneitatem esse necessariam, auctoritate Benedicti XIV. modo asseruimus.

138 Ad Testes tamen redeundum, atque ad morborum, quibus Maria Josepha Greco afflictabatur, diversitatem. Restat enim illud sanatæ dictum, ut asseritur, diluendum = *O guariscimi del tutto, o fammi morire* =. Ita porro se res habet, quemadmodum legitur in Summario Objectionali *num.* 1., et narrat Testis XXVII. Cira Radicchio = *Dopo due, o tre giorni* (post impetratam ab Anchilosi sanationem) *a Maria Giuseppa Greco, COME MI DISSE IL MARITO, le venne il male della luna due o tre volte, ma che poi, essendosi raccomandata al Beato Francesco, una notte l'era comparso il Personaggio del Beato Francesco de Geronimo, e gli avea detto Maria Giuseppa: Beato Francesco mio, mi hai fatto tornare il male, o guariscimi del tutto, o fammi morire: ed esso le rispose: non ti affligere ec.*

139 Mitto hæc dicta non haberi in Actis prolata *a Sanata ipsa clamante*, ut asserit Animadversio, sed a Teste XXVII. relata *de auditu a sanatæ marito*. Mitto hanc Testem non concordare neque cum sanata, neque cum sanatæ marito, quia post Anchilosis sanationem semel Josepham epilepticis convulsionibus fuisse obnoxiam testatur tam ipsa de se sanata *Summ. num.* 1. *pag.* 28. §. 36. = ibi = *Dalla sanazione sino a questo momento UNA VOLTA sola, perchè ebbi detto spavento, ho risentito un poco del male delle convulsioni, delle quali mi trovo perfettamente libera sino ad ora, e questo accadde TRE MESI circa dopo la sanazione* = quam sanatæ maritus *Summ. num. cit. pag.* 35 *et* 36. §. 91. = *Sanò mia Moglie ancora dal male di S. Donato, il quale d'allora in poi non l'è più venuto, meno che UNA VOLTA ebbe delle stirature per un certo timore* =. Ea contra Testis XXVII. narrat Josepham Greco fuisse epilepsia correptam *due o tre volte = dopo due o tre giorni.* = Mitto etiam advertere R. P. Fidei Promotorem non omni suspicione vacuos dicere Testes obliviosos, in illis autem totum fundamentum Animadversionum suarum constituere.

140 Verum historia admissa, objectam Josephæ Greco querimoniam non ad Anchilosim, sed ad epilepsin esse referendam ipsa docet historia, aliæque suadent rei circumstantiæ. Ita namque Testis XXVII. *le venne IL MALE DELLA LUNA . . . . mi hai fatto tornare il male: o guariscimi del tutto, o fammi morire* = Adde epilepsiæ consectaria, quæ jure metueret Josepha. Nam funestissima experientia norat, epilepticis convulsionibus ita se ante anchilosis sanationem fuisse vexatam, ut eidem quotidie, pluries etiam in die ingruerent,

 ut

ut ad tres, vel quatnor horas, aliquando ad dimidiam diei partem perdurarent, aliquando se nondum ad sensus reversa, repeterent, ut in terram, sive staret, sive ambularet, sive sederet, sive in lecto decumberet, sæpius cum discrimine vitæ præceps urgeretur. Itaque vel similia iis, quibus antea obnoxia fuerat, mala, vel etiam graviora poterat pertimescere. Nihil autem horum ab Anchilosi, etsi iterum eo morbo afficeretur, vereri debuerat. Metus igitur imminentium ab epilepsia malorum Josepham impulit, ut ad cælestem suum Patronum confugeret, ab eoque liberationem vel omnimoda sanatione, vel morte exoraret.

141 Securus porro superstiti ulceri, et epilepsiæ claudicationem Mariæ Josephæ, querelasque attribuo. Etenim alias probavi (1), in ægro pluribus morbis laborante, si illud accidat, ut alter morbus, altero superstite sanetur, nemini dubium esse posse, quin de Miraculi perfectione sit judicandum: idque confirmavi probatissimis exemplis a Benedicto quidem XIV. relatis, sed a S Augustino, et S. Gregorio Turonensi narratis, nec non tantorum Virorum auctoritate.

142 *Et disserte hæc quidem*, ait Animadversio, *sed quæ tamen majorem adhuc desiderant dilucidationem* (2). Credat Animadversio: ubi facta admittuntur, parum negotii facessit dilucidatio. Distinguenda tamen sunt facta, quæ merentur, ab illis, quæ nullam exigunt dilucidationem. Hujus generis est illud objectum (3). = *Testes inter se contradicentes nequeunt omnino non dubiam rem facere* =. At si contradictiones dumtaxat Peritum inter, ac Patronum Animadversio protulit: si nullum de Testium contradictionibus verbum fecit, quid elucidabimus? Unam modo deprehendimus inter Testem XXVII. et sanatam, sanatæque maritum contradictionem, quæ dubiam rem nullo pacto facit, propterea quod versetur in re mere *accidentali*, hoc est in ingruentia epilepsiæ post sanationem, nullaque ex parte attingat *substantialia*, quæ constituuntur a morbo principali Anchilosis, quæ est unice Miraculi subjectum, ab illius morbi simptomatibus, et a sanatione. Quapropter ea contradictio nihil præjudicare debet, uti cum S. Thoma, et S. Joanne Chrisostomo contendit Benedictus XIV. (4)

ANIMAD. §.13.

143 Item jactationes = *che l'aveva guarita esso* = factas a curæ Chirurgo, illa nimirum *testa guasta*, nihil moramur, cum res ipsa loquatur. De claudicationibus Josephæ Greco post sanationem satis etiam superque diximus, neque ea repetendo Sa-

(1) *Resp. ad Nov. Animad. pag.* 67. §. 167.
(2) *Animad.* §. 13.
(3) *Animad. loc. cit. princ.*
(4) *Lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 10. *et* 11.

Sapientissimis Suffragatoribus parare volumus fastidia. Ad cætera respondebimus.

144 Veretur enim primum Animadversio, ne manca, et imperfecta dici queat sanatio, neve Miraculi excellentiæ obsit illud, quod cum ulcus fuerit proxima Anchilosis causa, sublatus est effectus remanente causa, et sanata ulcere superstite Anchilosia (1).

145 Gratiæ Animadversioni quamplurimæ sunt habendæ, quod ultimo demum loco objiciendi quidem specie Miraculi excellentiæ prospiciat. Quapropter persuasum habeat ex hoc ipso Miraculi excellentiam, splendoremque augeri, quod contra naturæ ordinem sublatus fuerit effectus, causa adhuc permanente.

146 Itaque ad extollendam Miraculi præstantiam non sum prædicaturus morbi magnitudinem, quæ tanta erat, ut dici nihil supra possit: Certe nervi ab igne contracti cros fæmori veluti funo alligaverant: dura cicatrix arctissima connexione vehementius constringebat: concretio ossea id præstabat, ut assolet, ut os facilius perfriogeretur, quam ipsa dissolveretur. Quæ divina virtus miraculo patrando requirebatur? Insuper plura erant sistemata regeneranda, vasculare scilicet, nerveum, tendinosum, musculare, cutaneum: osseum quoque reficiendum. Qua luce ex his omnibus Miraculum non effunditur?

147 Magna quidem hæc sunt, sed illud profecto majus, quod contra naturæ ordinem, universa gesta fuerint. Ista siquidem morborum series. Epilepsis Mariæ Josephæ, dum adhuc in ephoebis esset, nervos obsedit; hæc eamdem Josepham marito jam copulatam dejecit in iguem; ignis urens ulcus generavit; phlogosis ab igne urente atque ulcus osseam Anchilosim subito effecerunt. At in sanatione contra factum est, primoque tempore sanata anchilosis, ulcere, atque epilepsi remanentibus: causisque adhuc extantibus remotus effectus. Id tam excellens est, tam ingens, tam splendidum, ut ex hac ipsa circumstantia narret Benedictus XIV. (2) in Causa S. Joannis a S. Facundo magnitudinem Miraculi fuisse desumptam, quia ante causam effectus fuerit propulsatus.

148 Re sane vera, si prius sublata fuisset causa morbi, naturaliter diceretur evanuisse effectus. Cum ulcus naturæ viribus, artisque auxilio esset sanabile, si prior ulceris sanatio contigisset, ab ulcere dependens dici poterat Anchilosis, eoque sanato, naturaliter Anchilosim evanuisse; At tollere effectum, causa superstite, id contra rerum ordinem ac naturam deprehenditur, id contrarias non admittit argumentationes.

149 Ne-

(1) *Animad.* §. 13.
(2) *Lib.* 4. *part.* 1. *Cap.* 11. *num. ult.*

149 Neque tamen id ipsum mancam arguit sanationem. Hæc quippe docet Beoedictus XIV.(1)„Vel agitur de ægro variis morbis labo„ rante, vel de ægro unico tantum morbo affecto: si de ægro va„ riis morbis laborante, oculi ex gr.cæcitate, cancro in pectore, et „ hydrope ventris, et oculi cæcitas momento depellatur,nullis ad„ hibitis medicamentis, sed cæteri morbi permaneant, sanatio a „ cæcitate oculi NUMQUAM DICI POTERIT MANCA, ET „ CONCISA „. Hoc pæcise in casu versamur, et Maria Josepha tribus morbis premebatur, epilepsi, ulcere, anchilosi. Singuli morbi erant inter se distincti: epilepsis enim in nervis, ulcus in musculis, anchilosis in ossibus consistebat. Cum cæteri morbi permanserint, nullis adhibitis medicamentis, ad B. Francisci de Hieronymo invocationem devicta est Anchilosis. Hæc sanatio numquam dici debet manca, et concisa.

150 Postremo, ne manca dici possit sanatio Anchilosis, aliis morbis remanentibus, invicte concluduot exempla sanationum, quæ ex S. Augustino, et S. Gregorio recitat Benedictus XIV. Et quoniam arguit Animadversio hæc ipsa exempla non satis ad rem facere, hinc qualia hæc sunt, et apud eumdem Summum Pontificem leguntur (2), ipsis Sapientissimorum Suffragatorum oculis iterum subjiciam.

ANIMAD. § 14.

151 „ S. Augustinos de Civit. Dei lib. 22 cap. 8 narrat, quem„ dam adolescentem miraculo fuisse a Dæmonis obsidione „ liberatum ad memoriam SS Martyrum Gervasii, et Prota„ sii: narrat eum habuisse oculum in maxilla fusum, tenui „ vennla ab interiore quasi radice pendentem, et totum ocu„ li medium, quod nigrum fuerat, quasi album factum; nar„ rat adstantes exclamasse, Medicum esse quærendum: at „ Maritum sororis dixisse, Deum, qui Sanctorum orationibus „ Dæmonem fugaverat, posse lumen reddere, oculumque „ lapsum, ac pendentem suo loco revocatum orario ligasse, „ et nonnisi post septem dies solvisse, quod cum fecisset, „ sanissimum esse inventum. Agebatur in hac re de ægro „ duplici morbo laborante, truculenta videlicet Dæmonis „ obsessione, et magna oculi læsione. Alia similia prostant „ exempla in libris S. Gregorii Turonensis, ubi loqui„ tur de Miraculis S. Martini, narratque *lib.* 2 *cap.* 3 fæmi„ nam quamdam retortos ad crura pedes habuisse, et ocu„ lorum lumine caruisse: ipsaque delata ad pedes S. Mar„ tini, statim luxata fuisse fila nervorum arentium, oculorum „ lumine non recepto, at post duos annos, accedentem ad „ S. Martini sepulchrum oculorum lumen recepisse. Et *lib.* „ 4 *cap.* 19 refert hominem paralyticum ad celebrandum San-

cti

(1) *Ibid. cap.* 8. *num.* [illegible]
(2) *Ibid.*

„ cti festum accedentem, discessisse directis membris, sed „ lumine adhuc adempto; at ad idem festum redeuntem, „ ipsum quoque visum recuperasse. Cumque S. Augustinus „ liberationem a Dæmonis obsessione inter miracula recenseat, „ et si post aliquod tempus remanserit oculi morbus, oculi „ autem sanationem adscribat novo, et separato miraculo, eo- „ demque modo procedant narrationes S. Gregorii Turonen- „ sis, signum evidentissimum hoc est „ (et notetur ipsum per se Benedictum XIV. pro canone stabilire sequentia fun- „ damenta) in laborante duplici morbo, quorum alter sit „ separatus ab alio, permansionem unius, vel etiam subsecu- „ tam hujus curationem per media naturalia, non inficere „ miraculum, quod contigit in sanatione alterius, nec sana- „ tionem ipsam ob alterius quoque morbi permansionem di- „ ci posse imperfectam, mancam, aut concisam, quod si al- „ terius quoque morbi sanatio citra naturæ opem contingat, „ non pro uno, sed pro duplici Miraculo pronuntiandum est. „

152. In exemplis modo recitatis ingentem morborum ingruentium disparitatem Animadversio deprehendit (1), et arguit longe distare a nostra facti specie, in qua Anchilosis ita cum ulcere connexa videtur, ut effectus cum causa.

153. Si de disparitate res sit, majorem in sanatione Josephæ Greco, quam in allegatis exemplis, aut certe similem mihi videor posse asserere. Similem dico in exemplo adolescentis cæci, et simul a Dæmone obsessi, sunt enim duo hæc mala longe a se disparata: at sunt æque in Josepha Greco morbi inter se longissime dissiti, propterea quod alter in sistemate nerveo, alter in musculari, postremus in osseo consisteret. Sed est aliquid in exemplo sedulo advertendum. Nam adolescenti a Dæmonis obsessione liberato oculi lumen post septem ab invocatione dies est restitutum. At sanatio Josephæ Greco eodem die, et hora contigit, qua ad ædes B. Francisci est delata. Subita hac, et mathematica instantaneitate hoc Miraculum illo splendidius elucescit.

154. Majorem autem morborum disparitatem in Josepha Greco deprehendo, quam in fœmina illa, quæ retortos ad crura pedes gestabat, et simul oculorum lumine carebat. Etenim dici potest, utrumque hunc morbum ab impedimentis in uno nerveo sistemate existentibus pendere potuisse. Id porro dici in Josepha Greco profecto nequit, in qua nemo unus negaverit, tres morbos tria diversa sistemata affecisse. Nisi ergo morborum discrepantiam a locorum distantia, et non potius ab organorum, et sistematum diversitate metiamur, majus pondus in Josephæ Greco sanatione, quam in aliis, oculorum conjectu cognoscimus. Deniquæ quocumque demum modo se res habeant, non hic metimur gradum, quod unum miraculum altero majus, ac splendidius dignoscatur, sed ex diversorum sistematum, et organorum læsione cognoscendam morborum diversitatem contendimus.

At-

(1) *Animad.* §. 114.

155. At enim morborum connexio in Josepha in eo consistit, quod ulcus causa Anchilosis extiterit. Cl. Peritus non ulceri, sed phlogosi causam Anchilosis attribuit. Ait enim in suo judicio § 93. *Anchylosis Mariæ orta est phlogosi: atqui Anchilosis ex phlogosi est semper ossea: ergo fuit insanabilis.* Deinde probata phlogosi §. 94. et 95. gravissimis primum auctoritatibus ostendit anchilosim ex phlogosi esse osseam §. 96. præterea explicat, quomodo superficies articulares ex phlogosi conglutinetur, et in unum concrescant §. 97 et 98. Totum igitur ossificationis processum Cl. Peritus phlogosi attribuit, maxime *si ulceri superveniat*: quo posito tota corruit moles Animadversionis. At liberius agam, et totum quod vult, Animadversioni concedam. Quid ergo? Ut hoc argumentum infirmem, insistam in exemplo adolescentis a S. Augustino allegato. Si adolescens ille Dæmonis obsidentis impetu ita actus fuisset, ut propterea cæcitatem (atque ita esse reapse potuit) fuerit consequutus, hoc in casu Dæmon fuisset causa cæcitatis. Quid igitur? Aliquam propterea inter Dæmonem et cæcitatem connexionem asserimus? An consequens erat, ut Dæmone expulso, ad veram Miraculi rationem oculus in pristinum restituerctur? An mancum ex lumine adhuc læso, et in maxilla fuso miraculum fuisset liberationis a Dæmonis obsessione? Quis hæc absurda devoret? Ita causa morbi non semper inducit cum effectu sequuta paritatem et connexionem.

156. Paritas autem est inter casum, quem effingere voluimus, et factum nostrum. Ignis enim musculos ussit, unde ulcus generavit, et concretionem in ossibus induxit. Duo sistemata læsit (ut modo de his unice loquamur), musculare, et osseum. Eadem causa, sed diversus ex affectorum sistematum diversitate effectus. Sane non eodem modo, non eisdem pharmacis obtineri poterat ulceris et anchilosis sanatio. Igitur canonem a Benedicto XIV. traditum adoptabimus, cum eoque concludemus, *in laborante duplici morbo, quorum alter sit separatus ob alio, permansionem unius, vel etiam subsequutam hujus curationem per media naturalia, non inficere miraculum, quod contigit in sanatione alterius, nec sanationem ipsam ob alterius quoque morbi permansionem dici posse imperfectam, mancam, et concisam.*

157. Quod si non manca, et imperfecta sanatio, multo minus suspensa dicenda est Anchilosis, integra perseverante causa, a qua iterum gigni possit, ut regerit Animadversio (1): tum quia ulcus nihil commune habet cum ossea Anchilosi, ut illam iterum sine nova combustione, et phlogosi gignere possit; tum quia Anchilosis sanationem paulo post ulceris etiam sanatio est subsequuta. Nam ita sanata ipsa die 9. Junii anno 1831. examinata deposuit (2). = *Tornai liberamente a Casa, come ho fatto sempre dipoi camminando liberamente, e volendo ver-*

(1) *Animad. cit.* §. 16.
(2) *Sum. num.* 2. *pag.* 28. §. 34. *et* 35.

verso la sera medicare le piaghe, mentre sin allora non era l'ora solita di medicare, quando fu l'ora di medicare, nello scuoprirmi la gamba sinistra, me la trovai perfettamente sana, mentre nel curarla la mattina vi era l'istessa piaga della grandezza come sopra, e restando di ciò maravigliata (admiretur etiam Animadversio plura uno die patrata fuisse miracula), *subito scuoprii la gamba destra, trovai la piaga ristretta più della metà, in uno stato, che parea volesse sanare, senza il colore brutto di prima, e non più ha buttato materia, ma bensì un poco di acqua di tanto in tanto, ed ora è ridotta piccolissima meno di un grano, che ora quasi non ci metto più niente; meno che qualche giorno la frasca* =. Et Periti ab Apostolicis Judicibus rogati die 7 Julii anno 1831, ut crus Josephæ Greco inspicerent, examinarent, nullum se vidisse ulcus memorant, unde concludimus eo die fuisse omnino sanatum. En quid eidem testati sunt (1). = *Richiesta poi a farci osservare la mentovata gamba, abbiamo trovato in essa una vasta cicatrice, che ha principio immediatamente dall'attacco del muscolo tricipite calando in giù per davanti il ginocchio, investendo la gamba sino al terzo inferiore. Abbiamo di più osservato, che la tibia è disformata nella sua cresta per la irregolare, ed incompleta rigenerazione ossea, offrendo ancora una piccola crosta circa quattro dita al di sotto del ginocchio. Finalmente abbiamo avvertito, che il muscolo flessore interno è distrutto in parte nei suoi attacchi tendinosi, ma intanto esegue liberamente i suoi movimenti.*

158. Quæ cum ita se habeant, jam nihil est, quod miraculosæ sanationis ab Anchilosi præstantiam atque splendorem obruere, et obnubilare videatur. Est autem in classe *primi generis* reponendum, tum quia morbus erat ex illis, ad quorum sanationem vires naturæ non extendunt, tum quia subito contigit. Id enim affirmat Benedictus XIV, qui præcise de claudicationibus loquutus hæc habet (2). „ At profecto per „ solas naturæ vires, aut per medicam artem sanabiles, saltem momento temporis dici et haberi non possunt claudi„ cationes, quæ provenium EX TENDINIBUS VEL NER„ VIS RUPTIS, juxta illud Hippocratis *aphor.* 19. *sect.* 6. „ *Si dissectum fuerit os, vel cartilago, nervusque neque au*„ *getur, neque coalescit*. Idem dicendum est si adsint EX„ CRESCENTIÆ OSSEÆ VEL TOPHI " et paulo infe„ rius ita monet, ac concludit „ Phisici autem ad consilium „ acciti causam et qualitatem claudicationis investigare debe„ bunt,

(1) *Ibid. pag.* 48. *et* 49. §. 195.
(2) *Lib.* 4. *part.* 1. *cap.* 11. *num.* 12.

„ bunt; et an aliqua causa naturalis adfuerit, cui possit sa-
„ natio adscribi; et num claudicatio sit ex illis, qui ope na-
„ turæ etiam momento temporis sanari possunt, an sit ex il-
„ lis ad quarum sanstionem vires naturæ non extenduntur:
„ SI ETENIM SIT EX HIS, CELEBERRIMUM ERIT
„ MIRACULUM, SI SANATIO SUBITO CONTINGAT,
„ sed erit etiam miraculum, QUAMVIS SUBITO NON
„ ACCIDAT in classe SECUNDI GENERIS reponendum".

159. Igitur cum Benedictus XIV. duas miraculorum classes in sanationibus a claudicatione constituat, cum instantaneitas miraculi magnitudini nonnihil conferat, cum illæ sanationes a claudicatione, quæ subito non accidunt, sint in classe secundi generis reponendæ: profecto quæ subito contingunt, sunt in altiore gradu, hoc est in classe PRIMI GENERIS collocandæ.

160. Caussa sic perorata, meum morem sequutus, paucis omnia complectar sequenti

SUMMA RESPONSIONIS

161 A Testibus exorsus, eosdem ab inani suspicione multis purgavi, sed ex eo potissimum, quod ab omni labe purgati, propter Pœnitentiæ Sacramenti susceptionem, quodque numero plurimi testimonium dixerint a §. 4. ad §. 26. Interim de morbi causis, circa quas Testium dicta fuere concilianda, disputavi, veramque causam fuisse corruptos ab arte Coriarii humores, qui erysipelam promoverunt, et ulcus aperuerunt, ostendi, tum quia hanc de propria scientia ipse ægrotus allegat, et Testis III. confirmat, tum quia ipse Peritus illam ulceri attribuit, tum quia rationes a Perito allatas Animadversio diluere non valuit a §. 14. ad §. 21. Ne Testium dicta scinderentur, huic aliam causam addendam contendi ductam a contusione §§. 21. et 24., denique asserui causam morbi pessimæ indolis esse necessario debuisse, tum ex ambarum conjunctione, tum ex eo, quod effectum, seu ulcus generavit, ultra annos quadraginta duraturum, seu verius numquam sine miraculo destiturum §§. 23. et 24.

162 A Testibus ad Miracula gradum faciebam, et quoad

MIRACULUM I.

163 Defendebam ulcus, quin in cancrum, aut gangrænam degeneraret, esse annosum diu potuisse, non solum ex experientia, sed etiam ex Celsi doctrina, quæ objiciebatur, ex callositatibus, quæ Santorianum ulcus obsidebant, ex bono Santorii habitu, ex pharmacis, quæ gangrænæ prohibendæ adhibebantur a §. 27. ad §. 34. docebam linguam canum

esse

Digitized by Google

esse ulceribus pharmacum §. 35. et multo dolore, multisque laboribus Cajetanum se per compita trahere debuisse, ut famam depelleret §. 36.

164 Medici curæ judicium, ut morbus internosceretur, si non erat in morbo patente necessarium, exclusi, si erat caussæ utilissimum, plurimorum protuli a §. 37. ad §. 43. Chirurgi vero, qui novissime Cajetano Santoro curam adhibuit, testimonium, judiciumque in actis prostat, ex quo patent singula morbi simptomata, desperata prognosis, perfecta sanatio, et quia hic curæ Chirurgus octo annis ante sanationem ulcus inspexit, eam ob causam octo Testibus contestibus de visu, qui plures adhibuerunt sensus, auditum, visum, olfactum, et tactum probavi, postremo illo tempore ulcus nihil de vi sua remisisse, sed in pejus abiisse, et in pessima sua indole perseverasse usque ad ipsam noctem, qua subita contigit sanatio: a §. 43. ad §. 55.

165 Pessima ulceris qualitate a causis, a desperata Medicorum prognosi (quibus et addendum Cl. Periti judicium), a diuturnitate demonstrata, sanationis instantaneitatem evincebam, diluendo dictum Testis X., qui opponebatur, et confirmando pessimum ulceris statum paulo ante, quam subita fieret sanatio: a §. 56. ad §. 62. Protuebar autem sanationis perfectionem, explicando, unde ortum habuerit crusta quædam, quam sex post menses in sanato crure, sanatus invenit, excludendo metastasim a §. 63. ad §. 71. et negando adhibitorum medicamentorum efficaciæ ulceris sanationem a §. 72. ad §. 82. unde concludebam, ulceris Santoriani sanationem Miraculo esse tribuendam.

166 Post hæc descendens ad

MIRACULUM II.

Anchilosis exordium probatioribus Testibus, quam ii sunt, qui objiciuntur, curæ Chirurgo, Apostolicis Peritis, judicio Periti pro veritate consulti duxi ab eo die, quo die Josepha Greco epilepsis impetu in ignem dejecta ingentem in inferioribus extremitatibus, sed magis in genu dextero experta est combustionem: eumque ad sex circiter et decem menses perduraverit, anchilosim *inveteratam* asserui a §. 84. ad §. 95.

167 Invincibilem deinde ut defenderem, directas probationes a Me, et a Cl. Perito alias in medium allatas appellabam, studiumque omne eo conferebam, ut inane curæ Chirurgi judicium tam de anchilosis vincibilitate = *qualora la gamba si fosse tenuta in estensione* = quam de asserto illo = *che non era stata sanazione miracolosa* = demonstrarem a §. 95. ad §. 100. demum quale esset verum curæ Chirurgi judi-

cium multis insinuabam: a §. 101. ad §. 109., Post hæc Cl. Periti judicium cum tota Defensione conciliabam a §. 109. ad §. 120. cæterasque Animadversiones revincebam docendo, abnormem in musculo flexore cicatricem post sanationem Miraculi præstantiæ non obesse; neque cicatricem ante sanationem fuisse hujusmodi, ut pharmacis vinci potuerit: et Cl. Peritum judicasse anchilosim non esse potuisse, sed reapse fuisse osseam: a §. 121. ad §. 126. Huic autem judicio confirmando alia modo subvenit ratio. Nam cum Josepha Greco, uti in primis Animadversionibus §. 28. ipse præclarissimus Censor contendebat, quotidie epileptitis convulsionibus vexaretur, quibus fœmora jactabat: cumque nihilominus inter coxæ et suræ musculos fuerit cicatrix inducta, oportebat, ut invicta vis in illis jactationibus crus fœmori constrictum ita detineret, ut continuus partium contactus ne hilum quidem interciperetur, neve tenuissima filamenta abrumperentur. Hæc autem invicta vis nulla alia potuit esse, quem ossificatio, præter eam, quam alias duximus (1) ab nervorum contractione.

168 A morbo ad sanationis modum progressus instantaneitatem ac perfectionem jure factoque probavi a §. 127. ad §. 130: tum objecta Testium dicta diluendo, aliquantulam in Josepha Greco claudicationem superstiti ulceri attribui a §. 130. ad §. 135: prætensam vero ejusdem querelam ad B. Franciscum de Hieronymo = *o guariscimi del tutto, o fammi morire* = a nova post anchilosis sanationem epilepsiæ ingruentia repetendam dixi a §. 138. ad §. 141.

169. Interim accepta a Benedicto XIV. Miraculorum in tres gradus distinctione, ejusdem Summi Pontificis doctrinæ innixus palam faciebam, in Miraculis, quæ in primo, et secundo gradu ad quorum alterum sanatio ab Anchilosi est referenda, instantaneitatem non esse requirendam §§. 135. 136. et 137. Illud præterea cum eodem Summo Pontifice protuebar, splendidissimum esse Miraculum, si contra naturæ ordinem, causa remanente, propulsetur effectus, et in ægro pluribus morbis laborante, quorum alter sit separatus ab alio, sanationem dici mancam non posse, si unus morbus, caeteris remanentibus, depellatur: exemplis ad eam rem confirmandam allatis, cum casu nostro comparatis, aliquid illis splendidius in Anchilosis sanatione indigitabam a §. 141. ad §. 157. Denique ne suspensus effectus dici posset, remanente causa, asserebam, causam ipsam paulo post fuisse sublatam §. 157.

170. Postremo cum Miraculi magnitudinem ex ipsa rerum substantia evicissem §. 146., cum prodigiosam anchilosis sanationem ex Illis esse, ad quorum sanationem nullo in subjecto ma-

(1) *Resp. ad Prim. Animad.* a §. 191. *ad* §. 197.

naturæ vires extenduntur, demonstrassem, cum mathematicam instantaneitatem in anchilosis expulsione in propatulo posuissem, cum Benedicto XIV. contendebam, Miraculum in classe *primi generis* reponendum §. 158.

171. Ex hactenus disputatis si quæ forte alicujus Sapientissimi Suffragatoris oculis de uno, alterove Miraculo caligo fuerat objecta, ea certe omnis evanuisse oportuit. Futurum igitur et confidimus, et enixe precamur, ut in unum singuli collatis sententiis, animisque conveniant. Concordi Consultorum suffragio Amplissimos Cardinales, quorum doctrina tanto eminentior est, quam ipsa dignitas, inhærere obtestamur. Te vero MAXIME PRINCIPUM GREGORI cum *R.mo P. Joanne Roothaan Societatis Jesu Præposito Generali caussæque Postulatore* humillime demisseque rogamus, ut flagrantissima totius Societatis Jesu, et universi populi Neapolitani desideria implcas, Caussamque huc usque adductam, gravissimo Tuo Decreto tandem absolvas.

Quare etc.

Franciscus Bartolescini Adv.
Joannes Rosatinius

REVISA

A. M. Fra'tini S. R. C. Assessor, et Sanctae Fidei Sub-Promotor.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Google

Digitized by Google

Digitized by Google